



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regesta historiae Westfaliae**

in chronologisch geordneten Nachweisungen und Auszügen

Von den ältesten geschichtlichen Nachrichten bis zum Jahre 1125

**Erhard, Heinrich August**

**Münster, 1972**

Codex Diplomaticus Historiae Westfaliae. Urkundenbuch zur Geschichte Westfalens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75945](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-75945)

# **CODEX DIPLOMATICUS**

## **HISTORIAE WESTFALIAE.**

---

### **Urkundenbuch**

---

### **Geschichte Westfalen.s.**

CODEX DIPLOMATICUS  
HISTORIA WESTPHALIAE

Urbana et Universitatis

1811

Gesetzliche Verordnungen  
anestatthe Wettbewerbs

## I.

Hildigrimus omnipotentis Dei gratia episcopus, Reginberto preposito una cum reliqua congregatione in domino salutem. Serenam in primis caritatem uestram non ignorare optamus, quomodo prosperitatis uestre securitatem semper Christi in gratia pollentem ouare desideramus. Deinde quod nostri iugiter in domino memoriam habeatis tam . . . . ris excessibus uel infirmitatibus, quam etiam pro communibus omnium nostrorum necessitatibus siue utilitatibus, obnixe precamur. Proinde nuncium nostrum modo cum Oddone ad palatium ire sciatis propter ammonitionem negotii nostri, pro cuius legatione mentionem uestram coram sancto patrono nostro cotidie fieri modis omnibus persuademus, quatinus per Dei misericordiam quandoque bonitas illius in hoc negotio nostro preualere mereatur in firmitate. Subinde mandamus preposito et omnibus officialibus nostris, ut unusquisque suum ministerium ad communem fratrum utilitatem quasi coram Deo honeste procuret. Nec fratribus aliiquid ex suis necessariis uel etiam in uinali propinazione inrationabiliter subtrahatur, sed omnia mensurate fiant. Nam Deo fauente nobis aduentientibus ministeria uestra et cunctas utilitates uestras uobiscum rationabiliter ordinare et utiliter constituere speramus. Quod tamen quando fieri ualeat, redeunte prefato nuncio uobis renunciare curamus. Propterea aedificio turris sine intermissione insistere iubemus, quatinus Deo uolente cum aliis beneficiis hoc etiam nostris temporibus perficiatur. Valete semper horum memores IN Christo Jhesu.

Auswendig: Ragenberto ppos.

## II.

† IN NOMINE DOMINI DEI ET SALVATORIS NOSTRI JHV XPI. HLVDOVVICVS DIVINA ORDINANTE PROVIDENTIA IMPERATOR AVGVSTVS. Si sacerdotum ac seruorum Dei petitiones, quas nobis pro suis necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, Non solum imperiale exercemus consuetudinem, uerum etiam ad beate retributionis mercedem talia nobis facta profutura confidimus. Quapropter notum sit omnium fidelium nostrorum solertiae presentium scilicet et futurorum, quia uir uenerabilis Castus abba ecclesie quae vocatur Fiscbechi cum subjectis aecclesiis in eodem pago Leriga et cum decima de silua ammeri et ponte burg, et ceteris ecclesiis in Hesiga et Fenkiga, excepta una ecclesia in Saxlinga, quam concessimus ad porroechiam sancti Pauli reuerti ad locum qui uocatur Mimigernaford, ubi Gerfridus episcopus preesse uidetur, Ueniens ad nos petuit celsitudinem nostram, ut ipsum sanctum locum pro mercedis nostre augmentatione sub nostra defensione et emunitatis tuitione reciperemus. Cuius petitioni pro diuino amore adsensimus, et ita in omnibus, quia iuste et rationabiliter petuit, per hanc nostram auctoritatem confirmare studuimus. Praecipientes ergo iubemus, ut nullus iudex publicus neque quislibet ex iudicia potestate, seu aliquis

ex fidelibus sanctae Dei ecclesiae ac nostris, in ecclesiis aut loca uel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore iuste et rationabiliter possidere uidetur, in quibuslibet pagis et territoriis sitas, uel quicquid etiam deinceps propter diuinum amorem conlatum fuerit, ad causas audiendas uel feda exigenda, aut mansiones uel paratas faciendas, aut homines ipsius ecclesiae tam ingenuos quam et seruos iniuste distingendos, aut ulla redibitiones uel inlicitas occasiones requirendas, ullo umquam tempore ingredi audeat uel exactare presumat. Quicquid autem de rebus praefatae ecclesiae fiscus sperare poterat, totum nos pro diuino amore concedimus, ut perennibus temporibus in alimonia pauperum et stipendia seruorum Dei ibidem Deo famulantum proficiat in augmentum. Quatenus ipsis seruis Dei, qui ibi Deo famulari uidentur, pro nobis et coniuge proleque nostra et stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conseruandi iugiter domini misericordiam exorare delectet. Praedictam uero abbatiam illius circum-quaque per diuersos pagos sitam, Nemo fidelium nostrorum ei exinde aliquid abstrahere aut prohibere praesumat. Quin ei liceat per hanc nostram auctoritatem uerbum praedicationis domino auxiliante exercere, et ministerium suum pleniter peragere. Et ut haec auctoritas nostris futurisque temporibus domino protegente ualeat inconuulsa manere, manu propria subscrisimus et anuli nostri impressione signari iussimus.

**P O E S**

*Signum Hludouici serenissimi Imperatoris.*

*Durandus diaconus ad uicem Helisachar recognoui (L. S. R.)*


Data V. Non. Septb. anno Imperii nostri VIII. Indictione XII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter ameN.

Das Siegel, welches auf das Recognitionszeichen aufgedruckt war, ist verloren gegangen.

### III.

**C.** In nomine Domini Dei et saluatoris nostri Jhesu Christi. Hludouicus diuina ordinante prouidentia Imperator augustus. Si erga loca diuinis cultibus mancipata propter amorem Dei eiusque in eis locis || sibi famulantes beneficia potiora largimur, praemium apud Dominum aeternae remunerationis nobis rependi non diffidimus. Igitur notum esse uolumus cunctis fidelibus nostris presentibus scilicet et futuris, quia uenerabilis vir Baderadus episcopus ecclesiae quae est constructa in honore sanctae Mariae semper uirginis et sancti Ciliani in loco qui dicitur Paderbruno, missa petitione deprecatus est, ut praedictam sedem cum omnibus ad se iuste et legaliter moderno tempore pertinentibus uel aspicientibus, sub nostra tuitione et immunitatis defensione cum rebus et mancipiis constitueremus, quod ita et fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Praecipientes ergo iubemus, ut nullus iudex publicus uel quislibet ex iudicaria potestate in ecclesiis aut loca uel agros seu reliquas possessiones memoratae ecclesiae, quas moderno tempore infra dicionem Imperii nostri legibus possidet, uel que deinceps in iure ipsius loci uoluerit diuina pietas augeri, ad causas iudicario more audiendas uel feda exigenda, aut mansiones uel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiae contra rationem distingendos, nec ulla redibitiones uel inlicitas occasiones requirendas ullo umquam tempore ingredi audeat, uel ea quae supra memorata sunt penitus exigere praesumat, sed liceat memorato episcopo suisque successoribus, res praedictae ecclesiae cum omnibus quae possidet quieto ordine possidere et nostro fideliter parere Imperio. Quicquid uero fructus exinde sperare potuerit, totum nos pro aeterna remuneratione praedictae ecclesiae ad stipendia pauperum et luminaria concinnanda concedimus, qualiter melius delectet clericos in eadem sede degentes pro nobis, coniuge et prole nostra Domini misericordiam exorare. Et ut haec aucto-

ritas per futura tempora melius conseruetur, manu propria subter firmaimus et anuli nostri impressione signari iussimus.



*C. Hirminmaris diaconus ad uicem Fridugisi abbatis recognoui et (L. S. R.)*

Data quarto Nonas Aprilis anno VIII. Imperii domni Hludouici piissimi augusti. Indictione XV. Actum Aquisgrani palatio regio. In Dei nomine feliciter ameN.

Das seitwärts aufgedrückte kleine kreisförmige Siegel zeigt das ungekrönte, seitwärts sehende Brustbild des Kaisers, mit der Umschrift: XPE PROTEGE HVDOVVICVM IMPERATOREM.


IV.

J.C. In nomine Domini Dei et saluatoris nostri Ihesu Christi. Hludouicu[m] diuina ordinante prouidentia Imperator augustus. Cum petitionibus seruorum Dei iustis et rationabilibus diuini cultus amore fauemus, || superni muneris donum largiri non diffidimus. Idcirco nouerit omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam et futurorum sagacitas, quia adiens serenitatem culminis nostri vir reuerentissimus Adalardus abba ex monasterio Corbeia, quod ei dudum in prouincia Saxonica ad augmentum mercedis nostrar[um] ex nouo construere iussimus super fluuium Uuisera in villa regia in loco nuncupante dudum Huxori, dicatum in honore sancti Stephani protomartyris, suggestis mansuetudini nostrar[um], ut idem monasterium et monachos ibidem per tempora degentes cum rebus et hominibus non solum sub nostra tuitione et defensione constitueremus, uerum etiam et talem immunitatem fieri iuberemus, qualem omnes ecclesiae in Francia habent. Cuius petitioni, dignam et proficuam iudicantes, hanc auctoritatem immunitatis erga praedictum monasterium\*) Corbegiae eiusque rectores fieri iussimus, per quam decernimus atque iubemus, ut nullus iudex publicus uel quilibet ex iudicaria potestate in ecclesiis aut loca uel agros seu reliquas possessiones membraque monasterii, quas praesenti tempore in quibuslibet pagis et territoriis habet, uel deinceps ibidem conlatae fuerint, ad causas iudicario more audiendas, uel freda exigenda, aut mansiones uel paratas faciendas, aut fideiu[er]sores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam et latos distingendos, aut ulla redibitiones aut inlicitas occassiones requirendas ullo umquam tempore ingredi audeat, uel ea quae supra memorata sunt penitus exigere praesumat, sed liceat memorato abbati suisque successoribus, res praedicti monasterii sub immunitatis nostrar[um] defensione quieto ordine uiuere ac residere. Et quicquid exinde ius fisci exigere poterat, totum et ad integrum nos pro aeterna retributione ad pauperes alendos et luminaria eidem monasterio concinnanda concedimus, qualiter monachi ibidem degentes, pro nobis proleque nostra atque stabilitate Imperii nobis ad regendum commisi, dominum misericordiae adtentius exorare delectet. Sed et hoc placuit nobis huic inserere auctoritati, ut licentiam habeant rectores huiusc monasterii, cum quibuslibet hominibus liberis\*\*) . . . . . uidelicet ut quicquid iuste et rationabiliter pars alteri contulerit parti, per hanc nostram auctoritatem iure firmissimo teneatur atque possideant, et quicquid exinde facere uoluerint, libero in omnibus perfrauant arbitrio faciendi quicquid elegerent.

<sup>\*)</sup> So ist die ursprüngliche Lesart; die Endung *um* ist aber in beiden Worten ausradirt, und o dafür gesetzt.

\*\*) Schaten schiebt hier die Worte ein: *res et mancipia legaliter commutare*; die Lücke der, an dieser Stelle stark beschädigten Urkunde, scheint aber nicht so gross, dass diese Worte könnten da gestanden haben.

rint. Et ut haec auctoritas immunitatis atque confirmationis nostrae per futura tempora inviolabilem obtineat firmataem, manu propria subter firmauimus et anuli nostri impressione signari iussimus.



*JC. Durandus diaconus ad uicem Fridugisi recognoui et (L. S. R.)*

Data VI. Kalendas Augustas anno Christo propitio X. Imperii domni Hludouici piissimi Augusti, Indictione prima. Actum Ingilinheim palatio feliciter AmeN.

Das neben dem Recognitionszeichen aufgedruckte und dasselbe zum Theil bedeckende Siegel kommt mit dem bei Nr. III. beschriebenen überein.

## V.

*Aus dem ältesten Kopialbuche des Stifts Corvey.*

In nomine Domini Dei ac saluatoris nostri Jhesu Christi. Hludouicus diuina ordinante prouidentia Imperator augustus. Neminem fidelium nostrorum dubitare credimus, quam magnum quondam dominus et genitor noster Karolus christianissimus Imperator cum Saxonibus subiit labore, ut eos ad cognitionem uerae fidei adduceret, quod et diuina cooperante gratia sicut optauit effecit. Nos uero in eius solio superni numinis dono sublimati, Cuidam uenerabili uiro Adalhardo seni abbatи ex monasterio cuius uocabulum est Corbegia, in eadem prouincia Saxonia, ob mercedis nostrae augmentum, monasterium construere iussimus, et ad idem cenobium dedicandum ex sacro palacio a capella nostra misimus uenerabiles ac sacrosanctas reliquias beati Stephani prothomartiris, quod est constructum super Vuisera in villa regia in loco nuncupante dudum Huxori. Ac quia auctore Deo praedictus diuae memoriae dominus et genitor noster in eadem gente primum christianaе religionis fidem confirmauit, ita et nos ad augmentandum solidandumque eiusdem fidei uigorem, primum monachicae religionis ordinem illic seruandum tenendumque constituimus, quod ita, opitulante omnipotenti gratia, ad effectum rei peruenit, et praedictum monasterium \*) ideo Corbegia nomen impositum est, eo quod de antiquo quodam monasterio Corbegia praedicto Adalhardo abbatи seni, cui hanc curam commisimus, adsumpto secum germano suo Vuidone cum ceteris quantis et quibus oportebat monachis, infra eandem prouinciam locum aptum et congruum eligerent, atque ibi prout oportunius potuissent praefatum monasterium stabilirent atque construerent. Idecirco placuit excellentiae nostrae, ut praedictam uillam quae dicitur Hucsori cum omnibus finibus uel terminis suis et cum terris, siluis, aquis aquarumue decursibus, cum omnibus adiacentiis et appendiciis suis ad idem monasterium per hanc auctoritatem iure perpetuo conferre et de nostro iure in Jus et dominationem praedicti monasterii praesentialiter tradere, Nec non et res seu possessiones quae a Deum timentibus uel Deum diligentibus Saxonibus infra ipsam Saxoniam ad hoc opus inchoandum uel adiutorium praestandum conlatae sunt, per hanc auctoritatem confirmare, etiam et res quae ad Corbegiam antiquorem traditae fuerant infra ipsos supradictae Saxoniae fines, in terris, siluis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, propriis uel communibus domibus ac aedificiis uel prius habitis uel postea constructis, mancipiis quoque diuersi generis uel condicionis, mobilibus et immobilibus, datum uel traditum fuit, cum omni integritate ad praedictum monasterium, una cum consensu praefati abbatis uel congrega-

\*) Ohne Zweifel war dieser Stelle die bei der vor. Urk. bemerkte und in dieselbe irrthümlich eingeschlichene Correctur zugedacht.

tionis eius celebri donatione contulimus, et perpetuo monachis ibidem Deo militantibus ad possidendum fruendumque concessimus atque confirmauimus. Ideo autem ita fieri debere rationabile iudicauimus, ut quia constabat praedictum locum ex monasterii prioris Corbegiae monachis constructum esse, et quia in omni loco uni domino seruitur, uni regi militatur, dignum erat ut possessiones illae eorundem monachorum obsequiis deputarentur, qui infra ipsam prouinciam eiusdem monasterii primi aedificatores et perpetuo habitatores in omnipotentis Dei seruicio sub sancta regula deputati fuisse noscuntur. Nam si forte talis esset causa, ut idem locus ex propriis in eadem prouincia sibi conlatis nequiusset subsistere rebus, dignum ut de prioris monasterii rebus benignitatis seu largitatis causa, prout ex utraque parte rationabile esse potuisset, larga manus porrigi debuisse, quanto magis de hiis quae infra eandem prouinciam conlatae, ut dictum est, prius fuisse noscuntur, cum omni benignitate ardentissimo caritatis affectu largiri. Statuentes etiam decernimus atque per hos imperiales apices sancimus, ut quandoquidem diuina uocatione abba praedicti monasterii de hac luce migrauerit, quam diu ipsi monachi inter se tales inuenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere ualeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant elegendi abbatem, quatenus ipsos seruos Dei, qui ibidem Deo militant, pro nobis, coniuge proleque nostra et stabilitate totius imperii nostri iugiter Dei misericordiam exorare delectet. Sed et hoc placuit nobis huic inserere auctoritati. Licentiam habeant rectores huiusce monasterii, cum quibuslibet hominibus liberis res et mancipia commutare, uidelicet quidquid iuste et rationabiliter pars alteri contulerit parti, per hanc nostram auctoritatem iure firmissimo teneant atque possideant, et quidquid exinde facere uoluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut haec auctoritas largitionis atque confirmationis nostrae per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter firmauimus, et anuli nostri impressione signari iussimus.

*Signum (L. M.) Hludouici serenissimi Imperatoris.*

*Durandus diaconus ad uicem Fridugisi recognoui et (L. S. R.)*

Data VI. Idus Augusti, anno Christo propicio X. Imperii domni Hludouici piissimi augusti, indictione I.  
Actum Ingelheim palacio regio in Dei nomine feliciter Amen.

## VI.

In nomine domini Dei et saluatoris nostri Jh̄i Xp̄i. Hludouicus diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Baderado episcopo et missō nostro. Nosse te non dubitamus, qualiter nostra iussione Adalarus quondam abba quoddam monasterium in Saxonia a nouo opere construxit, quod nos et aliqui boni homines de quibusdam rebus sollemni donatione dotaūimus, de quibus omnibus rebus nostrae auctoritatis praeceptum circa idem monasterium fieri iussimus, ut perpetua saluatione in iure eiusdem monasterii eedem res consistenter. Sed ut relatione Uuarini uenerabili eiusdem monasterii abbatis cognouimus, quidam comites memoratum praeceptum nostrum infringere et conuellere uelint, in eo uidelicet quod homines tam liberos quam et latos, qui super terram eiusdem monasterii consistunt, in hostem ire compellant et distringere iudiciario more uelint, quod nolumus ut faciant, et ideo per has litteras nostras tibi praecipimus, ut tu illud praeceptum, quod sicut diximus eidem monasterio fecimus, adsumas et in praesentia eorundem comitum, in cuius ministeria res praedicti monasterii esse noscuntur, relegi facias, et ex nostra auctoritate eis praecipias, ut ulterius nostrae auctoritatis praeceptum uiolare non praesumant, sed pocius sicut in eodem pracepto continetur illud conservare studeant, si gratiam nostram habere uelint.

Auswendig mit gleicher Schrift:

Ad Baderadum episcopum et missum nostrum.

Ein Siegel ist nicht vorhanden.

## VII.

**C.** In nomine Domini Dei et redemptoris nostri Jhesu Christi. Hluthuuicus diuina ordinante prouidentia Imperator augustus. Si aecclias et loca diuino cultui dicata nostris largitionibus prouehere satagimus, atque ibidem assidue Deo famulantibus solacia clementer inpendimus, non solum honorifica regalis munificentiae consuetudinem exercemus, sed et temporalium erogatione donorum, perpetuae nos mercedis premia promerer possimus. Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum presentium scilicet et futurorum industria, quod pro amore diuino atque animae nostrarae remedio, ad monasterium quod uocatur noua Corbeia, quod construximus in Saxonia, in honore sanctorum martyrum Stephani atque Viti, cui modo preest fidelis et propinquus noster Uuarinus primus substitutus abbas, concessimus piscationem quandam in fluvio Uuisura, in pago Uuimodia nuncupato, cui confinis est villa Liusci uocata, in comitatu Abbonis. Quae quia in similitudinem palorum, quos incolae hucas uocant, construitur, gentilicio nomine ab indigenis hoc uar nuncupatur, quae ad ius nostrum pertinebat, quamque idem Abbo comes hactenus in beneficio habebat. Sed quoniam eadem piscatio absque familiis, quae ad eius prouisionem deputatae fuerant, fratribus predicti coenobii non admodum utilis esse poterat, Idcirco triginta duas familias et quicquid ad eandem piscationem pertinens sepedictus Abbo in beneficio habuit, totum et ex integro in proprietatem iam dicti monasterii concedimus, quatinus ibidem Domino seruientes monachos sine cessatione diuinam clementiam pro nobis exorare delectet. Et ut haec concessionis nostrarae auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus nostris uerius credatur ac diligentius obseruetur, manu nostra subter eam firmantes, anuli nostri impressione iussimus sigillari.

*Signum (L. M.) Hluthouici serenissimi Imperatoris:*

*C. Hirminmarus notarius ad uicem Theodonis recognoui: (L. S. R.)*

Data XVI. Kal. Jul. anno Christo propitio XVIII. imperii domni Hludouici serenissimi augusti, Indictione X. actum Franconouord palatio regio, in Dei nomine feliciter. AmeN.

Das Siegel, welches neben, und zum Theil noch auf dem Recognitionszeichen aufgedruckt war, ist verloren gegangen.

## VIII.

In nomine Domini Dei et saluatoris nostri Jhesu Christi. Hludouicus diuina ordiuina (*sic*) ordinante prouidentia Imperator augustus. Omnibus sanctae Dei || ecclesiae nostrisque fidelibus praesentibus scilicet atque futuris notum esse uolumus, quomodo Corbagiense monasterium in Saxonia propiciante Domino cum consensu fidelium nostrorum in honore sancti Stephani protomartyris Christi deuotissima intentione fundauimus, et ibi competentia subsidia quaque praे manibus inuenimus debita largitate praedicto sanctificationis loco nostra in elmosina contulimus, Insuper etiam quia locum mercationis ipsa regio indigebat, monetam nostrarae auctoritatis publicam ultra ibi semper inesse Christo militantibus proficiam statuimus. Quatenus eum omnitegritate (*sic*) absque ullius contradictione uel impedimenti occasione locus ipse sanctitatis omne inde redditum nostrarae auctoritatis publicum possideat, et utilitatibus monasterii perpetuis temporibus multiplicatum nostrum hoc largitatis donum proficiat. Et ut fiduciali perpetuitate haec omnia nostrarae auctoritatis dona sibi potiatur et teneat, anuli nostri impressione subter roborando firmare decreuimus.

*Signum (L. M.) Hludouici serenissimi Imperatoris.*

*C. Hirminmarus notarius ad uicem Theodonis recognoui et (L. S. R.)*

Data Kal. Junias anno Christo propitio XX. Imperii domni Hludouici piissimi augusti, Indictione XI. Acta Uuormacia ciuitate. In Dei nomine feliciter amen.

Das aufgedruckte Siegel ist verloren gegangen.

## IX.

In nomine Domini Dei et saluatoris nostri Jhesu Christi. Hludouicus diuina ordinante prouidentia Imperator augustus. Si liberalitatis nostrae munere de beneficiis a Deo nobis conlatis, locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad mortalem uitam feliciter transigendam, et ad aeternam perpetualiter obtainendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri uolumus omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam et futurorum sollertiae, quia cum nos monasterium in Saxonia propitiante Domino cum consensu fidelium nostrorum in honore sancti Stephani protomartyris Christi deuotissima intentione fundatum habuissemus, nomenque noue Corbeie aptassemus, atque ibi competentia subsidia quaeque pree manibus inueneramus debita largitate praedicto sanctificationis loco in nostra aelymosina contulissemus, Uuarinus quem in eodem monasterio abbatem praefecimus sugerendo petiti celsitudini nostrae, ut in memorato ducatu Saxoniae locum prouideremus, ubi sal fieri ad cibos monachorum in eodem monasterio pro tempore degentium saliendo atque condiebant potuisse, quod et facere curauimus, et dedimus eidem monasterio per hoc nostrae auctoritatis preeceptum in ducatu Budinius ult quantumcumque iuris nostri in illo sale, quod est super fluum Uuisara, erat, in pago Logni. Per quod statuentes decernimus ut sub iure ipsius monasterii quantumcumque in eodem sale habere uisi sumus perpetuo consistat sicut diximus ad necessitates seruorum Dei in memorato monasterio degentium fulciendas. Et ut haec nostrae largitionis auctoritas firmior habeatur, de anulo nostro subter eam iussimus sigillare.

C. Meginarius notarius ad uicem Theodonis recognoui et (L. S. R.)

Data VI. Id. Jun. anno Christo proprio XX. Imperii domini Hludouici serenissimi Imperatoris, Indictione XI. . . . . ciuitate In Dei nomine feliciter Amen.

Das Siegel ist verloren gegangen und die Charte beschädigt.

## X.

In nomine Domini Dei et saluatoris nostri Jhesu Christi. Hludouicus diuina repropitiante clementia Imperator augustus. Si liberalitatis nostrae munere de beneficiis || a Deo nobis conlatis locis Deo dicatis quiddam conferimus, Id nobis et ad mortalem uitam feliciter transigendam, et ad aeternam perpetualiter obtainendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri uolumus omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam et futurorum sollertiae, quia complacuit serenitati nostrae, quasdam uillas iuris nostri sitas in Angrariis, in Logni \*), quarum uocabula sunt Sulbichi et Hemlion, monasterio quod dicitur noua Corbeia, ubi praesenti tempore Uuerinus uenerabilis abba pastor et rector esse dinoscitur, sub integritate per hanc nostram auctoritatem delegare, ut nostris et successorum nostrorum temporibus in ditione eiusdem monasterii perpetualiter consistant ad stipendia monachorum inibi constitutorum et necessitates eiusdem monasterii procurandas atque subleuandas. Has ut diximus uillas sub integritate, cum omnibus rebus, appendiciis et terminis, et cum omnibus ad se pertinentibus \*\*), id est domibus ceterisque aedificiis, terris, pratis, siluis, campis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, cultis locis et incultis, mobilibus rebus ac se ipsas mouentibus, mancipiis diuersis sexus et aetatis, praedicto monasterio concedimus atque confirmamus, ut ab hac die in futurum, sicut dictum est, in iure et potestate ipsius perpetuo permaneant, absque cuiuslibet comitis uel publici iudicis aut cuiuslibet persone contradictione uel refragatione. Et ut haec nostrae

\*) Diese beiden Worte sind mit anderer Handschrift und Tinte später eingetragen.

\*\*) Im Originale steht aus Versehen: pertibus.

Cod. dipl. hist. Westfal.

donationis atque concessionis auctoritas inuiolabilem et inconuulsam obtineat. firmitatem, manu propria subter eam firmauimus et anuli nostri impressione adsignari iussimus.

*Signum (L. M.) Hludouici serenissimi Imperatoris.*

*C. Hirminmaris notarius ad uicem Theodonis recognoui et (L. S. R.)*

Data Id. Mai. anno Christo propitio XXI. Imperii domni Hludouici piissimi augusti, Indictione XII. Actum Aquis grani palatio regio, In Dei nomine feliciter amen.

*Das neben dem Recognitionszeichen, nahe am Rande der Urkunde aufgedruckte, noch gut erhaltene Siegel zeigt das seitwärts sehende Brustbild des Kaisers, mit der Umschrift: XPE PROTEGE HLDOVVICVM IMP. +.*

## XI.

**C.** In nomine Domini Dei et saluatoris nostri Jhesu Christi. Hludouicus diuina repropitiante clemencia Imperator augustus. Si illius amore, cuius munere ceteris mortalibus praelati sumus, loca diuino cultui || consecrata congruis munificentiae nostrae beneficiis ad diuinum cultum uberior exsequendum sustollimus, digne retributionis praemio nos a Domino fideliter remunerari credimus. Quapropter notum esse uolumus cunctis fidelibus sanctae Dei ecclesiae nostrisque praesentibus scilicet et futuris, quia conplacuit nobis ad quoddam monasterium uocabulo Heriuurth, quod in ducatu Saxonie, in honore sanctae Dei genitricis Mariae semper uirginis constat esse dicatum, quodque praesenti tempore uenerabilis Tetta abbatissa regere dinoscitur, quasdam res et mancipia nostrae proprietatis, sitas in memorato ducatu Saxonie, pro mercedis nostrae augmento delegare, ut inde uberior ancillis Christi inibi per tempora degentibus stipendia necessaria ministrentur et necessitates eiusdem monasterii procurentur. Id est, in pago qui dicitur Bursibant, in uilla uocatam Reni, ecclesiam inibi constructam cum decimis et omnibus rebus ac mancipiis ad se iuste et legaliter pertinentibus, et in pago qui dicitur Scopingus, in uilla nuncupata Uuateringas, ecclesiam inibi fundatam cum decimis et omnibus rebus ac mancipiis ad se iuste et legaliter pertinentibus, et in eodem pago qui dicitur Scopingus, in uilla qui appellatur Stochheim, ecclesiam inibi fabricatam cum decimis et omnibus rebus ac mancipiis ad se iuste et legaliter pertinentibus et aspicientibus. Uerum ut eadem nostrae maiestatis largitio futuris temporibus inuiolabilis permaneret, hanc nostrae auctoritatis conscriptionem circa memoratum monasterium fieri decreuimus, per quam decernimus atque iubemus, ut memoratae ecclesiae cum decimis et omnibus rebus ac mancipiis ad se iuste et legaliter pertinentibus uel aspicientibus, in iure eiusdem monasterii Heriuurth nomine perpetuo consistant, et nullus ex successoribus aut etiam ex fidelibus nostris ullo umquam tempore easdem ecclesias subripere aut inde aliquid minuere, aut eas de iure eiusdem monasterii abstrahere praesumat, sed liceat rectricibus et ministris saepedicti monasterii easdem ecclesias et res ac mancipia ad eas iure pertinentibus ecclesiastico ordine disponere atque gubernare. Et ut haec auctoritas nostra firmior habeatur, manu propria subter eam firmauimus et anuli nostri inpræssione adsignari iussimus.

*Signum (L. M.) Hludouici serenissimi Imperatoris.*

*C. Hirminmaris notarius ad uicem Hugonis recognoui et (L. S. R.)*

Data VII. Id. Jun. anno Christo propitio XXV. Imperii domni Hludouici piissimi augusti, Indictione prima. Actum Nouiomago palatio regio, In Dei nomine feliciter amen.

*Das Siegel, mit dem an der Urkunde Nr. III. übereinstimmend, ist zerbrochen.*

## XII.

*Aus dem ältesten Kopialbuche des Stifts Corvey.*

**C.** In nomine sancte et inuidue Trinitatis. Hludouicus diuina ordinante prouidentia Imperator augustus. Si unius fidelis nostri iustum et rationabilem petitionem libenter implemus, procul dubio reliquorum

fidelium nostrorum deuotionem erga nos promptiorem efficimus. Quia propter omnium fidelium sanctae Dei aecclesiae nostrorumque praesentum et futurorum nouerit uniuersitas, Quia propinquus noster Warinus abbas monasterii nouae Corbeiae, quod super Vuiseram fluuium in honore beati prothomartiris Stephanii sanctique Viti construximus in pago Augensi, cum matrona quadam Addila nos adiit, nostram cum ea deprecatus pietatem, ut res quas praedicta matrona pro se et remedio animae mariti sui Bunichonis ac filiorum suorum defunctorum, Folchmari, Bunichonis, Hemme et Berthildis, prefato monasterio contulit, uidelicet dominicale in Osthouen et quidquid ibidem uel in oppidis hiis, Oppenheim et Vuachenheim, possidere uidebatur, cum manso regali Tyheyle, per nostraem mansuetudinis auctoritatem ibidem confirmarremus. Secundum petitionem ergo ipsorum eidem monasterio ea quae tradidit ab hodierna die et deinceps in nomine Domini per hoc nostraem auctoritatis scriptum confirmamus, ut nullo inquietante, sed Deo auxiliante et nostro imperiali decreto prospiciente, perpetuis temporibus absque ulla contradictione ibi permaneant, quatenus Deo ibi seruientes pro traditorum salute et regni nostri stabilitate Domini clementiam melius exorare delectet. Et ut haec auctoritas nostra firmior habeatur et per futura tempora a fidelibus uerius credatur et diligentius obseruetur, manu propria nostra subter eam firmauimus et anuli nostri impressione assignari iussimus.

*Signum (L. M.) domni Hludouici serenissimi Imperatoris augusti.*

*Hrotmundus notarius ad uicem Hilduuni recognoui.*

Actum Ingelenheim XVIII. Kal. Decembr. anno XXV. Imperii domni Hludouici Imperatoris augusti.

### XIII.

In nomine Domini Dei et saluatoris nostri Ihesu Christi. Hludouicus diuina repropitiante clementia Imperator augustus. Notum sit igitur omnibus fidelibus sanctae Dei ecclesiae et nostris || praesentibus scilicet et futuris, quia ante annos aliquod concessimus cuidam fideli nostro uocabulo Gerulfo quasdam res proprietatis nostraem, quae sunt in ducatu Frisiae, in pago Uuestracha, in villa Cammingehunderi et in aliis uillis circumquaque se positis. Sed quia interuenientibus quibusdam turbinibus, per ipsius Gerulfi negligentiem, ab eius potestate et dominatione eadem res abstractae, fisco regio sociatae sunt, tandem diuinae misericordiae intuitu placuit nobis easdem res illi restituere, et quemadmodum pridem fuerat, in eius potestatem et dominationem transfundere. Quas ut certius firmiusque nostris futurisque temporibus possidere ualeret, has auctoritatis nostraem litteras ei fieri iussimus, per quas memoratas res cum his quae ad eas iure et legaliter pertinent deinceps iure proprietaario ualeat possidere, et quicquid de eis agere uoluerit, liberam habeat potestatem. Neque aliquam ob memoratam occasionem de eisdem rebus ullo umquam tempore calumniam patiatur, sed quicquid sicut diximus de eis ordinare atque disponere uoluerit, liberrimo in omnibus potiatur arbitrio. Et ut haec nostraem restitutionis auctoritas et nostris et futuris temporibus inuiolabilem ualeat obtinere firmitatem, de anulo nostro subter eam iussimus sigillare.

*C. Glorius notarius ad uicem Hugonis recognoui et (L. S. R.)*

Data VIII. Id. Jul. anno Christo propitio XXVI. Imperii domni Hludouici serenissimi Imperatoris, Indictione secunda. Actum Cruciniaco palatio regio, In Dei nomine feliciter amen.

Das neben dem Recognitionszeichen aufgedruckte, und so wie die ganze Urkunde noch gut erhaltene Siegel, ist das bei Nr. III. beschriebene.

### XIV.

**JC.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Hludouicus diuina fauente gratia rex. Cum in nomine unicę et perpetuae Trinitatis pro regimine sanctae matris et uniuersalis ecclesiae etiam et pro statu regni

nobis diuinitus et paterno iure || commissi, Patherbrunnen peruenimus, aderant inter ceteros fideles nostros quidam monachi cum uenerabili eorum praeposito nomine Uualanae ex monasterio quae noua Corbegia nuncupatur, coramque familiaribus consiliariis nostris in praesentiam culminis nostri adducti, adulterunt domini ac genitoris nostri Hludouici excellentissimi Imperatoris quoddam paeceptum, In quo continebatur, qualiter Idem christianissimus Imperator paeftatum monasterium in honorem sancti Stephani protomartyris Christi super fluuium Uuisera in villa regia in loco nuncupante dudum Huxori Adalhardo cuidam seni abbatii germanoque suo Uualanae construi ac fabricari paecepisset, Obsecrantes clementiam serenitatis nostrae, ut pro maiori firmitate ac certiori studio securitatis, nostrae mansuetudinis super hoc paeceptum paterno ac regali affectu confirmari debere. Quorum petitioni iusta et rationabili aurem libenter accommodauimus, ac paecriptam uillam Huxori, quam serenissimus augustus ad paeftatum monasterium tradiderat, cum omnibus finibus uel terminis suis, terrisque, siluis, aquis aquarumue decursibus, seu cunctis adiacentiis nec non appendiciis suis, siue res et possessiones quae a Deum timentibus uel gratiam diuinam diligentibus ibi conlatae sunt, etiam et res quae ad Corbegiam antiquorem, ex cuius uocabulo illud monasterium nomen usurpat, traditae fuerant infra fines regni Saxonie, terris, siluis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, propriis uel communibus aedificiis prius habitis uel postea constructis, mancipiis quoque diuersi generis uel condicionis, mobilibus et inmobilibus datum uel traditum erat, cum omni integritate, paeftato monasterio et monachis ibidem Deo soli militantibus ad possidendum fruendumque per hanc nostram auctoritatem in elemosinam paeftati piissimi genitoris nostri ac nostram confirmare atque stabilire decreuimus. Libuit etiam nostrae celsitudinis pietatem erga diuae memoriae genitoris nostri nobilissimi augusti institutionem, quando diuina uocatione abbas paefti monasterii uitam finierit mortalem, quamdui ipsi monachi inter se tales inuenire huiusce uiae quiuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti primi instructoris illius normae regere ualeat, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi abbatem, quatenus ipsos seruos Dei qui illic uni Deo die noctuque seruunt, pro nobis proleque nostra et stabilitate regni a Deo nobis conlati iugiter Domini misericordiam exorare delectet. Illud uero inserere hoc paecepto nostrae placuit regiae auctoritati, ut licentiam habeant rectores et ministri eiusdem monasterii, cum quibuslibet hominibus liberis res et mancipia legaliter commutare, uidelicet ut quicquid pars iuste et rationabiliter alteri contulerit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem iure firmissimo teneant atque possideant, et quicquid exinde facere uoluerint libero in Dei nomine perfruantur arbitrio faciendi quicquid eligerint. Et ut haec auctoritas largitionis atque confirmationis nostrae per diurna tempora inuiolabilem atque inconuulsam obtineat firmitatem, Manu propria subter firmauimus et anuli nostri impressione signari iussimus

11-13 22 Febr

*Signum (L. M.) Hludouici glorioſiſſimi regis.*

*JC. Dominicus notarius ad uicem Radleici recognoui et (L. S. R.)*

Data III. Id. Decembr. anno Christo propvio septimo regni domni Hludouici regis in orientali Francia Indictione IIII. Actum Patherbrunnen in Dei nomine . . . . .

Das Siegel ist verloren gegangen und die Urkunde überhaupt am untern Theile sehr beschädigt. — Wegen der Zeitrechnung in den Urkunden Ludwigs des Deutschen, vgl. Regest. Nr. 368.

## XV.

Aus dem ältesten Kopialbuche des Stifts Corvey.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Hludouicus diuina fauente gratia rex. Si erga loca diuinis cultibus mancipata propter amorem Dei eorumque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia oportuna impendimus, atque de rebus terrenis diuina miseratione nobis conlatis largitionis nostrae munere quiddam

conferimus, hoc nobis procul dubio non solum ad stabilitatem regni pertinere, uerum etiam aeternae beatitudinis praemia capessendo profuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri uolumus omni fidelium praesentium scilicet et futorum sagacitati, qualiter nos ob amorem Dei et emolumentum animae nostrarae, quasdam res proprietatis nostrarae concessimus ad monasterium quod dicitur noua Corbeia, quod est situm super flumen Vuisera, constructum in honore sancti ac beatissimi Stephani prothomartiris, ubi praesenti tempore uenerabilis uir Vuarinus auctore Deo abba praesesse uidetur. Sunt enim praedictae res in pago Guottinga in uilla quae dicitur Amphidi, hoc est mansum dominicatum cum casis et reliquis aedificiis, cum aliis mansis uiginti ibidem aspicientibus ac deseruentibus. Has itaque res, sicut diximus, cum domibus, aedificiis, mancipliis utriusque sexus sub uariis,\*) terris cultis et incultis, siluis, pratis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, adiacentiis, peruiis, exitibus et regressibus, quaesitis et adquirendis, quemadmodum Banzleibi comes in beneficium hactenus habuit et nostri Juris atque possessionis Jure proprietatis est, totum et ad integrum praedicto monasterio concessimus et de nostro iure in ius et dominationem eius liberalitatis nostrarae munere contulimus, Ita uidelicet ut quidquid ab hodierno die et tempore de eisdem rebus et mancipliis rectores et ministri supradicti monasterii ob utilitatem et necessitatem facere, ordinare atque disponere uoluerint, per hanc nostrarae auctoritatis largitionem libero in Dei nomine perfruantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Hanc itaque auctoritatem largitionis nostrarae, ut per curricula annorum inuiolabilem atque inconuulsam obtineat firmitatem et a fidelibus sanctae Dei ecclesiae nostrisque uerius credatur et diligenter obseruetur, manus nostrarae signaculis subter eam decreuimus roborare et anuli nostri impressione ius simus adsignare.

*Signum (L. M.) Hludouici gloriosissimi regis.*

*Adalleodus diaconus ad uicem Rathleici recognoui et (L. S. R.)*

Data XVIII. Kal. Januar. anno Christo propitio VII. regni domni Hludouici in orientali Francia Indictione III. Actum Rosbah uilla in Dei nomine feliciter Amen.

## XVI.

**JC.** In nomine domini nostri Jesu Christi Dei aeterni. Hlotharius diuina ordinante prouidentia Imperator augustus. Oportet imperiale sublimitatem ut fidelium suorum iustis ac rationabilibus petitionibus || pietatis suae aurem accommodet et effectum concedat, quatinus id faciendo eorum animos in suo semper redat promptiores obsequio Idcirco omnium fidelium sanctae Dei ecclesiae ac nostrorum presentium uidelicet et futorum comperiat magnitudo, quia Esich fidelis comes noster deprecatus est clementiam nostram, ut aliquantum ex rebus iuris nostri, quibus ipse ordine possidebat beneficiario, ad proprium concederemus ac per preceptum nostrum traderemus. Cuius deprecationem ob suae fidelitatis deuotionem libenter adnuentes, hos excellentiae nostrarae apices fieri decreuimus, quibus iam dicto Esichoni in pago Riboariense in comitatu Bunnense in uilla Castenicha mansos octo ex beneficio suo cum omnibus pertinentiis eorum, Id est cum terris, campis cultis et incultis, uineis, siluis, pratis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, exitibus et regressibus, nec non et mancipliis utriusque sexus ibidem pertinentibus ad proprium tribuimus et de iure nostro in ius ac dominationem ipsius perhenniter mansurum transfundimus, ut faciat exinde potissima a nobis percepta licentia quicquid elegerit uel uoluerit, sicut et de reliquis proprietatis suae rebus absque cuiuslibet potestatis contradictione uel repetitione seu qualibet refragatione, Ita tamen ut nusquam a nostra discedat fidelitate, sed inmobiliter in nostris perseueret obsequiis absque aliqua tergi-

\*) Für diese augenscheinlich corrumpten Worte setzt Schaten, nach eigner Conjectur: salinariis.

uersatione. Et ut haec nostrae largitionis auctoritas inuiolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmauimus et anuli nostri impressione adsignari iussimus.

*Signum (L. M.) Hlotharii serenissimi augusti.*

*JC. Remigius notarius ad uicem Agilmari recognoui et (L. S. R.)*

Data XIII. Kal. April. anno Christo proprio Imperii domni Hlotharii pii Imperatoris in Italia XXIII. et in Francia III. Indictione VI. Actum Aquisgrani palatio regio. In Dei nomine.

Das Siegel ist nebst einem Theile der Charte, welchem es aufgedruckt war, herausgerissen.

## XVII.

**C.** In nomine domini nostri Ihesu Christi Dei aeterni. Hlotharius diuina ordinante prouidentia Imperator augustus. Si unius fidelis nostri iustum et rationabilem petitionem libenter implemus, || procul dubio reliquorum fidelium nostrorum deuotionem erga nos promptiorem efficimus. Quapropter omnium fidelium sanctae Dei ecclesiae nostrorumque praesentium et futurorum nouerit uniuersitas, quia Esich uir inluster comes nostram deprecatus est pietatem, ut res sibi in pago Riboariensi in comitatu Bonnensi in villa Chestinacha a nostra munificentia attributas, quas ipse pro remedio animae eius ad monasterium in Saxonia situm Corbeia uocabulo, quod est constructum in honore beati Stephani protomartyris Christi, delegauit, per nostrae mansuetudinis praeceptum ibidem confirmaremus. Cuius precibus libertissime annuentes, hos excellentiae nostrae apices fieri statuimus, per quos memoratas res una cum mancipliis inibi pertinentibus in praedicto pago et in iam dicta villa consistentes ad praefatum monasterium Corbeiae et ecclesiam sancti Stephani confirmamus modisque omnibus corroboramus, quatenus sicuti a praecripto fidi comiti nostro Esichoni tradite et delegate fuerunt, ita pars eiusdem loci sancti deinceps absque cunuspia potestatis contradictione uel inquietudine teneat et possideat, faciatque exinde quicquid utilitas dictauerit. Et ut haec nostrae confirmationis auctoritas inuiolabilem obtineat firmitatem, de anulo nostro subter iussimus sigillare.

*C. Hrodmundus notarius ad uicem Hilduini recognoui et (L. S. R.)*

Das Siegel, welches auf das Recognitionszeichen aufgedruckt war, ist verloren gegangen.

## XVIII.

**JC.** In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Hludouicus diuina fauente gratia rex. Si liberalitatis nostrae munere loca Deo dicata et necessitates ecclesiasticas per petitiones pontificum atque sacerdotum nostrorum eleuamus munimine, atque tuemur iuuamine, Id nobis et || ad mortalem uitam temporaliter transiendam et ad aeternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter nouerit sagacitas seu utilitas omnium fidelium sanctae Dei ecclesiae nostrorumque tam praesentium quam et futurorum, qualiter uenerabilis episcopus fidelisque noster Bateradus nomine ueniens in procerum nostrorum praesentiam, obtulit obtutibus nostris praeceptum domni ac genitoris nostri Hludouici uidelicet serenissimi imperatoris, quod ipse facere iussit per petitionem praefati uenerabilis episcopi, ad locum qui uocatur Paderbrunno, quod est constructum in honore sanctae Mariae semper uirginis et sancti Kiliani, In quo praecepto continebatur immunitas atque defensio seu tuicio domni imperatoris genitorisque nostri supra prae dictum locum. Sed pro integra firmitate ac securitatis studio praefatus uenerabilis episcopus Bateradus deprecatus est mansuetudinem nostram, ut ipsam defensionem atque tuicionem per nostrae mansuetudinis praeceptum renouari dignaremur. Cuius petitioni ob amorem Domini nostri Ihesu Christi et reuerentiam prae nominati uenerabilis episcopi seu anime nostrae remediu libenti animo adsensum prae bentes, Tale auctoritatis praeceptum ad ipsum sanctum locum fieri decreuimus, quatinus sub quali defensione domini

genitoris nostri fuit, Ita deinceps sub nostra tuitione et inmunitatis defensione cum omnibus ad se iuste et legaliter pertinentibus permaneat. Praecipientes ergo iubemus, ut nullus iudex publicus uel quislibet ex iudicaria potestate in ecclesiis aut loca uel agros seu reliquas possessiones memoratae ecclesiae, quas moderno tempore infra dicionem regni nostri legibus possidet, uel quę deinceps in iure ipsius loci uoluerit diuina pietas augeri, ad causas iudicario more audiendas uel freda exigenda aut mansiones uel paratas facientes aut fideiussores tollendos aut homines ipsius ecclesiae contra rationem distringendos, nec ullas redibitiones uel inlicitas occasiones requirendas ullo umquam tempore ingredi audeat, uel ea omnia quę supra memorata sunt penitus exigere praesumat. Sed liceat memorato episcopo suisque successoribus, res praedictę ecclesiae cum omnibus quae possidet quieto ordine possidere et nostro fideliter parere imperio. Quicquid uero fiscus exinde sperare potuerit, totum nos pro aeternae (*sic*) remuneratione praedictae ecclesiae ad stipendia pauperum et luminaria concinnanda concedimus, quatinus melius delectet clericos in eadem sede degentes, pro nobis, coniuge proleque nostra, Domini misericordiam exorare. Haec quippe auctoritas ut pleniorum in Dei nomine obtineat uigorem et a fidelibus sanctae Dei ecclesiae ac nostris uerius credatur et diligentius obseruetur, manu propria nostra subter subter (*sic*) firmauimus et anuli nostri impressione adsignari iussimus.

*Signum domni (L. M.) Hludouici serenissimi regis.*

*Uualto subdiaconus ad uicem Uuitgarii cancellarii recognoui et (L. S. R.)*

Data XI. Kal. Jun. anno Christo propitio XXVII. regni Hludouici serenissimi regis in orientali Francia regnante, Indictione VII. Actum Franconofurt palatio regio. In Dei nomine feliciter amen.

Das neben dem Recognitionszeichen aufgedruckte Siegel zeigt den links (nehmlich nach der linken Seite des Lesers) sehenden ungrönen Kopf des Königs (welcher aber auch, da er beträchtlich tiefer steht als die Umschrift, der Abdruck einer Gemme sein könnte), mit der Umschrift: XPE PROTEGE HLVDOICVM REGEM. †.

## XIX.

In nomine sanctae et indiuidue Trinitatis. Hludouicus diuina fauente gratia rex. Si de rebus terrenis, quas diuina sumus largitate consecuti, loca sanctorum || ob amorem Dei quiddam conferimus, hoc nobis procul dubio ad aeternae remunerationis premia cappessenda profuturum liquido credimus. Idcirco nouerit omnium fidelium sanctae Dei ecclesiae nostrorumque praesentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos concessimus quasdam res proprietatis nostrae ad monasterium quod dicitur Herifurd, siue ad reliquias sanctae Marie semperque virginis in eodem monasterio conseruatas. In pago uidelicet Grainga in uilla quae uocatur Kelueri, id est mansum indominicatum cum domibus, aedificiis et omnibus adiacentibus terris cultis et incultis, siluis, pratis atque pascuis, de reliquo beneficio quod Hrodradus comes habuit dimidiā partem, cum familiis supermanehtibus utriusque sexus numero uiginti nouem, In alio autem pago quod dicitur Sutherbergi, in uilla quae nuncupatur Lodre, octo familias et nouem mansos. Et in eodem pago, in uilla quae uocatur Arpingi, unum mansum cum familia supermanente. Has itaque res, sicut superius diximus, cum domibus, aedificiis, mancipliis utriusque sexus, et terris, pratis, siluis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, totum et integrum predicto monasterio ad proprium concessimus et confirmauimus. Propterea hos apices serenitatis nostrae circa ipsum monasterium fieri decreuimus, per quos praecipimus atque iubemus, ut nullus iudex publicus in homines ipsius loci aspicientibus potestatem ullo umquam tempore habeat, preter aduocatum eorum, neque fideiussores illorum tollendo, nec in uuadiis aut publicis placitis aliquam distinctionem in eos faciendo, sed ob Dei amorem nostramque concessionem in futurum omnes res superius insertas ad iam dictum monasterium pleniter deseruant absque alicuius contrarietate aut impedimento. Et ut haec auctoritas donationis seu confirmationis nostrae firmior habeatur et per futura

tempora a cunctis fidelibus sanctae Dei ecclesiae nostrisque uerius credatur atque diligentius conseruetur,  
Manu propria subter eam firmauimus et anuli nostri impressione adsignari iussimus.

*Signum (L. M.) domni Hludouici gloriosissimi regis.*

*Coaneatus notarius ad uicem Radleici recognoui et (L. S. R.)*

Data VI. Idus Decembris anno Christo propitio XVIII. regni domni Hludouici gloriosissimi regis in  
orientali Francia, Indictione XV. Actum in eodem monasterio Herifurd, in Dei nomine feliciter Amen.

Die Original-Charte ist sehr beschädigt und das Siegel verloren gegangen.

## XX.

In nomine saluatoris mundi et in honore eiusdem patris spiritusque sancti. Jam dudum quidam illu-  
stris homo nomine Sidag quandam aeccesiolam ligneam ad monasterium Paderbrunnense tradidit, simul  
cum tercia parte hereditatis eius quae ex genitoris eius iure contigit ei habere in pago quod Almango  
nuncupatur, cumque iam pro uetustate stare eadem domuncula nequiret, successores alodi illius inito con-  
silio cum uoluntate et licentia domini episcopi Liuthardi in eorum possessiua hereditate iuxta locum ubi prior  
aeccesiola stetit lapideam domum Dei construxerunt. Cum uero aedificatores eiusdem domus Dei domi-  
num antistitem Liudhardum cum precibus cogerent eandem aeccesiolam dedicare, et ipse eorum petitioni  
faueret et in honore sancti saluatoris multorumque sanctorum eius eam consecraret, tunc predicti constru-  
tores et coheredes edem eandem ad predictum Paderbrunnense monasterium tradiderunt.

Ob ein Siegel vorhanden gewesen, ist nicht zu entscheiden, da am untern Rande ein Stück von der Charte wegge-  
schnitten ist.

## XXI.

Nach einer (aus dem ehemaligen Hervordischen Archive) im Königl. Geh. Staats-Archive zu Berlin befindlichen, alten Abschrift.

In nomine sancte et indiuide Trinitatis. Hludouicus diuina fauente gratia rex. Si peticiones seruo-  
rum Dei iustas et racionabiles ad effectum perduxerimus, et ad humanam<sup>1)</sup> uitam<sup>2)</sup> feliciter<sup>3)</sup> transigendam,  
et<sup>3)</sup> perpetuam felicius<sup>4)</sup> promerendam, procul dubio nobis profuturum speramus. Qua propter<sup>5)</sup> notum  
esse uolumus, quoniam uenerabilis abbas Vuarinus adit excellentiam nostram suppliciter orans, ut nostra  
munificentia prospiceremus monasteriis illi commissis, quorum unum est monachorum, noua Corbeia nomi-  
natum<sup>6)</sup>, ubi et ille primus regulari electione abbas extitit, et alterum est sanctimonialium, Heriford dictum,  
et proprie abbatisse, cuius nomen Addila, subiectum. Sed iuxta consuetudinem, qua ancillarum  
Dei congregationibus procurari solent prepositi ex<sup>7)</sup> ecclesiastico ordine, iam dicto abbati commendauimus,  
ut tam in disciplina abbatissam iuuaret, quam in cunctis negociis, que famulē Christi pro sexu et profes-  
sione sua exequi non possent, ipsarum prouisor et patronus existeret. Is ergo petiit celsitudinem nostram  
recordari, quod pię memorie genitor noster Hludouicus imperator ambo hęc monasteria construi iussit ad  
normam uidelicet precipuorum in Gallia monasteriorum, Nouam utique Corbeiam ad similitudinem antiquę  
Corbeię, Herifordense uero cenobium ad exemplum monasterii sanctimonialium in Suessionis ciuitate con-  
sistentium, et ut in elemosinam suam hac<sup>8)</sup> tocius generis sui institutionum earundem profectio<sup>9)</sup> comple-  
retur, cellam iuris sui que uocatur Meppia cum<sup>10)</sup> decimis et possessionibus undique ad eam pertinentibus,  
et ecclesiam Eresburg, quam auus noster Karolus primo construens in Saxonia decimis dotauit circumqua-  
que habitantium per duas saxonicas rastas, prefatus noster genitor<sup>11)</sup> ad nouam Corbeiam tradidit.<sup>12)</sup> Ad

Abweichende Lesarten in der vita Waltgeri: 1) hanc. 2) felicius. 3) ad. 4) facilius. 5)=omnibus. 6) nuncupatum. 7) fehlt.  
8) ac. 9) profecto. 10) fehlt. 11) gen. nost. 12) trad. Corb.

Herifordensis autem monasterii adiumentum dedit in episcopatu quidem Asnabrugensi<sup>13)</sup> ecclesiam Buginithi cum subiectis sibi ecclesiis, In parochia uero Mimigernefordensi ecclesiam Hreni cum his que ad eam pertinent ecclesiis, ita sane ut decimarum aliorumque redditum prouentus omnes prefatis cederent monasterii, et ab ipsis uicissim procurentur subiecte plebes in baptisme, in eucharistia, in sepulturis, in confessione peccatorum audienda, Et presbiteri qui principales ex his ecclesiis tenerent, archipresbiterorum officio fungerentur ad agenda omnia que solent fieri ab archipresbiteris episcoporum. Cum autem ipsi episcopi circationes suas ibi agere deberent, ad eorum mansionatica daretur, quod in capitularibus antecessorum nostrorum prescriptum habetur. Nos igitur rata esse uolentes cetera omnia, tantum expensas ad ministerium episcopi propter egritudinem et senectutem eius qui nunc est Gozberti,<sup>14)</sup> augere debemus. Quod iuxta petitionem sepe dicti abbatis Uuarini ita moderari placuit, ut descripto quantum satis sit ad seruitium episcopi, hoc nullo modo subtrahatur, et episcopus uicissim ampliora non requirat, nec cum pluribus ueniat, quam ut<sup>15)</sup> eis sufficere possint. In quibus satis<sup>16)</sup> consensit prefatus episcopus coram nobis et archiepiscopo nostro Hrabano ceterisque cum eo in sinodo<sup>17)</sup> agentibus, id est ut dentur ad singulas ecclesiis porci III.or ualentes singuli denariis<sup>18)</sup> XII. et<sup>19)</sup> octo arietes, qui eadem precii summa, qua IIII. porci estimarentur, III porcelli, IIII auce, octo pulli, XX situle de medone, XX de mellita ceruisia, XL<sup>20)</sup> de non mellita, CXX panes, C. modii de auena manipuli DCti.<sup>21)</sup> sitque in potestate episcopi, utrum hec per singulas ecclesiis ad unam mansionaticam<sup>22)</sup> an ad duas<sup>23)</sup> uelit habere. Ne autem in summa debiti his plus aut minus complectatur, hoc auctoritatis nostrae precepto cum consensu synodali decernimus atque iubemus. His<sup>24)</sup> eciam adiungere placuit liberam utriusque loco concessionem eligende de propria congregatione in regimen sui per futura semper tempora congrue persone, et ut omnis hinc dubietas tollatur, manu propria hec roborantes, anuli nostri impressione ea signari iussimus.

*Signum (L. M.) Hludouici serenissimi Regis.*

*Aelbertus<sup>25)</sup> subdiaconus ad uicem Baldrici abbatis recognoui.*

Data XI. Kal. Jun. anno XX.mo regni gloriosissimi<sup>26)</sup> regis Hludouici in orientali Francia regnante. Indictione I. Actum in palatio regio Franconoford, in Dei nomine feliciter. Amen.

## XXII.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Hludouicus diuina fauente gratia rex. Si liberalitatis nostrae munere de beneficiis a Deo nobis conlatis locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad mortalem uitam || feliciter transigendam, et ad aeternam perpetualiter optinendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri uolumus omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam et futurorum sagacitati, quia petente atque suggestore Uuarino uenerabili abbe, qui monasterium quod dicitur noua Corbeia nostra concessione in regimine habere dinoscitur, quod piae memoriae genitor noster construi iussit in honorem Dei et sancti protomartyris Stephani, ubi et sancti Uiti martyris preciosa pignora seruari noscuntur, complacuit celsitudini nostrae, quandam cellulam iuris nostri uocatam Fischboeki, quae est constructa in pago Leri, memorato monasterio adiungere atque per hanc nostram auctoritatem ei tradere, ut perpetuo sub eius ditione cum omnibus ad se pertinentibus et aspicientibus consistat. Hanc ut diximus cellulam sub integritate cum omnibus rebus, appendiciis et terminis suis, et cum omnibus ad se pertinentibus et respicientibus, id est basilicis, domibus ceterisque edificiis, decimis, siluis, campis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, cultis locis et incultis, mobilibus rebus et inmobilibus, mancipiis diuersi sexus et etatis, memorato monasterio subditam esse facimus atque per hanc nostram auctoritatem ita condonamus

<sup>13)</sup> Osnaburg. <sup>14)</sup> Gauzberti. <sup>15)</sup> non. <sup>16)</sup> esse. <sup>17)</sup> synado. <sup>18)</sup> denarios. <sup>19)</sup> aut. <sup>20)</sup> LX. <sup>21)</sup> de (offenb. Missverst.).

<sup>22)</sup> unum mansionaticum. <sup>23)</sup> duo. <sup>24)</sup> Hiis. <sup>25)</sup> Hadebertus. <sup>26)</sup> gloriosi.

Cod. dipl. hist. Westfal.

atque tradimus, ut in iure eiusdem ac monachorum inibi per tempora Deo deseruentium in diuersis necessitatibus ad diuinum cultum propensius exequendum absque cuiuslibet diminoratione aut retractione permaneat, et nullus fidelium nostrorum ab eorum dominatione uel potestate eam quoquo modo auferre aut in aliam quamlibet partem quacumque occasione transferre praesumat. Neque ullus iudex publicus uel quilibet ex iudicaria potestate in ecclesias aut loca uel agros seu reliquas possessiones memoratae cellulae quas praesenti tempore in quibuslibet pagis et territoriis habet ac deinceps ibidem conlatae fuerint, ad causas iudicario more audiendas, uel freda exigenda, aut mansiones uel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius cellulae tam ingenuos quam et latos distingendos, aut ulla redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo umquam tempore ingredi audeat, uel ea que supra memorata sunt, penitus exire praesumat, sed liceat memorato abbati sub immunitatis nostrae auctoritate, successoribusque eius et monachis in memorato monasterio per tempora degentibus, iam dictam cellam cum omnibus ad se pertinentibus uel aspicientibus, ad Dei et domini nostri Ihesu Christi famulatum diligentius peragendum, absque cuiusquam contrarietate uti, et quecumque ad suos in domini nostri Ihesu Christi militia usus et necessitates pertinent, ordinare, disponere, iusteque efficere, quatinus pro pii genitoris nostri animae saluatione, et pro nobis, coniuge proleque nostra et pace nostra ac stabilitate totius imperii a Deo nobis commissi alacrius eos indesinenter domini misericordiam exorare delectet. Hanc quoque ammonitionem subiungere curauimus, ut prefatus abbas eiusque per tempora successores prouideant de prefata cellula, ne aliquando neglegatur in diuino cultu, neque cuilibet personae in beneficium tribuatur, sed potius procuretur ut ibi in perpetuum Dei cultus perseueret et ad prefati monasterii monachorumque ibidem Deo seruentium usus et necessitates in perpetuum prospiciat. Et ut hec nostra auctoritas inuiolabilem et inconuulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam subscrisimus et anuli nostri impressione assignari iussimus.

C. *Signum (L. M.) Hludouici serenissimi regis.*

*Hadebertus subdiaconus ad uicem Baldrici abbatis recognoui et (L. S. R.)*

Data XIII. K. April. anno XXIII. serenissimi regis Hludouici (in orientali Francia regnantis). Indictione III. Actum in villa Eipilingas (in Dei nomine feliciter Amen.)

Das Siegel ist theilweis verloren gegangen und die Charte überhaupt sehr beschädigt. (Die im Datum eingeklammerten Worte sind theils ausgerissen, theils ganz erloschen, und nach der Analogie anderer Urkunden supplirt.)

### XXIII.

C. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Hludouicus diuina fauente clementia rex. Si enim libera-  
litatis nostrae munere locis Deo dicatis quiddam conferimus et necessitates ecclesiasticas nostro subleuemus  
iuuamine atque regali tuemur munimine, id nobis ad aeternam uitam felicitatem optinendam profuturum li-  
quido credimus. Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum industria praesentium scilicet et futu-  
rum, qualiter nos ob amorem Dei et remissionem peccatorum nostrorum, atque pro remedio animarum  
antecessorum nostrorum augustissimorum Imperatorum, ad monasterium quod dicitur Heriurt, quod est  
constructum in honore sanctae Mariae semper virginis, situm in ducatu saxonico, ubi praesentis temporibus  
Hadeui abbatissa et rectrix esse uidetur, quasdam res proprietatis nostrae in pagis Dreini et Boro-  
ctrax cognominantibus, et in comitatibus Burchardi et Uuarini coniacentes, id est casas dominicas duas  
cum territorio dominicali, unam scilicet in Seliheim et alteram in Stocheim, nec non et mansos triginta  
pertinentes ad loca praenominata, et quicquid dici aut nominare potest, quae ad predicta loca iure per-  
tinere noscuntur, cum familiis sexaginta, quae lingua eorum lazi dicuntur, totum et integrum per hanc  
nostram auctoritatem ad memoratum monasterium perpetualiter in proprium tenendum concessimus, et de  
iure nostro in ius et dominationem eiusdem monasterii transfundimus et condonamus, ea scilicet ratione,

ut perpetuo sanctis monialibus ibidem Domino iugiter famulantibus in cibariis et uictualibus reliquisque usibus earum per futura tempora Christo propitio consistant, et in beneficio res ipse nulli concedantur, sed solummodo absolute ad mensam eorum iugiter deseruant, et nullus successor noster hanc auctoritatem largitionis nostrae aliter immutare possit, neque ullus publicus iudex aut aliqua iudicaria potestas aliquam molestiam aut contrarietatem in his rebus illis facere praesumat, sed liceat ipsis res suas libere et absolute, Domino adiuuante et nostra munitione tuente possidere, omni iudicaria remota potestate. Et ut haec auctoritas largitionis nostrae per futura tempora firmior habeatur et a fidelibus nostris melius conservetur ueriusque credatur, subter eam manu propria nostra firmauimus et impressione anuli nostri ad signari iussimus.

C. *Signum (L. M.) Hludouici serenissimi regis. Hadebertus subdiaconus ad vicem Uuitgarii cancellarii recognoui et (L. S. R.)*

Data Id. Junias, anno Christo propitio XXVI. Hludouici serenissimi regis in orientali Francia regnante, Indictione VI. Actum in villa Franconouirt palatio regio, in Dei nomine feliciter. AmeN.

Die Schrift der Urkunde lässt keinen Verdacht gegen die Achtheit und Originalität derselben zu; das Siegel aber ist nicht mehr das ursprüngliche und gehört einer ganz andern Person an. Es ist kreisförmig, sehr dick, mit starken Pergamentriemen an die Charte geheftet, und zeigt ein vorwärts sehendes Brustbild mit unbedecktem Kopfe; von der Umschrift ist mit Sicherheit nur zu lesen: . . . dolfus Di. Gra . . . . Den vorhandenen Spuren nach, muss früher ein anderes Siegel der Urkunde aufgedruckt gewesen sein, dessen Verlust durch das gegenwärtige willkürlich ersetzt worden ist.

#### XXIV.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Hludouicus diuina fauente clementia rex. Si enim locis Deo dicatis quiddam ex rebus quas diuino munere possidemus largitatis gratia conferimus, hoc nobis procul dubio ad aeternam uitam promerendam || profuturum liquido credimus. Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos ob amorem Dei et pro absolutione peccatorum antecessorum nostrorum augustissimorum Imperatorum atque pro remedio anime nostrae, quasdam res proprietatis nostre, quas Folcheri fidelis noster actenus in beneficium tenuit, in ducatu Uestfalorum coniacentes in pagis Grainga et Threcuitti, nec non et in comitatibus Burchardi, Uualberti, et Albrici atque Letti, id sunt mansi XIII. cum familiis uiginti, qui lingua eorum lati dicuntur, ad monasterium quod uocatur Heriuurt, quod est constructum in honore sanctae Mariae semper virginis, ubi Haduuic praesentis temporibus abbatissa et rectrix esse uidetur, cum omnibus appendiciis, totum et integrum ad praeformatum monasterium in proprium perpetualiter tenendum tradimus et de iure nostro in ius et dominationem ipsius monasterii sollemniter condonamus, ita uidelicet ut nullus successor noster easdem res inde ulterius subtraendi licentiam habeat, sed ab hodierno die rectrices atque sanctae moniales ipsius monasterii easdem res recipient atque deinceps per hoc nostrum praeceptum data licentia Christo propitio habeant potestatem utendi pro communi utilitate earum qualitercumque eis libuerit. Et ut haec auctoritas largitionis atque traditionis per futura tempora firmior habeatur et a cunctis fidelibus nostris melius conservetur ueriusque credatur, subter eam manu propria nostra firmauimus et impressione anuli nostri robouri iussimus.

*Signum (L. M.) Hludouici serenissimi regis. Hadebertus subdiaconus ad vicem Uuitgarii cancellarii recognoui et (L. S. R.)*

Data VII. Kal. Maias, Anno XXVII. regni Hludouici serenissimi regis in orientali Frantia regnante, Indictione VII. Actum in Franconouirt palatio regio, in Dei nomine feliciter. AmeN.

Die Charte ist sehr beschädigt und das Siegel verloren gegangen.

## XXV.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Ludthuuicus diuina fauente gratia Rex. Si enim liberalitatis nostrę munere locis Deo dicatis quiddam conferimus, || id nobis et ad mortalem uitam temporaliter transiendam, et aeternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Qua propter nouerit omnium fidelium nostrorum presentium scilicet et futurorum sollertia, qualiter nos ob nostrę mercedis augmentum et pro remedio animarum nostrarum, et per interpellationem Hemmę dilectę coniugis nostrę, quasdam res proprietatis nostrę concessimus ad monasterium Heriuordensis ad usus sanctimonialium ibidem domino famulantium, quod situm est inter fluvios Uuerna et Hardna, in honorem sancte Dei genitricis et perpetue uirginis Marie, ubi requiescit corpus sacre uirginis Pusinnę, duas uidelicet casas dominicatas, Oueranberg, Liuduuinesthorp, in pago Angeresgoue super flum Hrenum, cum triginta mansis et omnibus suis appendiciis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, aedificiis, terris, cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, siluis, uenationibus, exitibus et redditibus, uiis et inuiis, quęsitis et inquirendis, cum decimis et omni utilitate que ullo modo inde poterit prouenire. Ea scilicet ratione, ut ab hodierna die et deinceps per hoc nostrę auctoritatis preceptum plenius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, sed domino auxiliante perpetuis temporibus ibi permaneant ad usus sanctomialium ibidem domino famulantum, ut nulla abbatissa neque alia quelibet potestas audeat illas alicui in beneficium praestare, sed ille inde faciant quod eis expedit pro communi utilitate. Uolumus etiam atque concedimus ut potestatem habeant ex illis ipsis eligendi abbatissam. Decernimus etiam atque iubemus, ut nullus index publicus neque quislibet ex iudicia potestate in ecclesiis seu reliquas possessiones aut uillas, quas memorato monasterio concessimus uel deinceps ibi uoluerit diuina pietas augeri, ad causas audiendas uel fraeda exigenda seu mansiones uel paratas aut teloneum uel fidei iussores tollere, aut homines predicti monasterii commandentes distingere, nec ullas publicas functiones seu redibitiones aut illicitas occasions reddendas deinceps praesumat, sed liceat praedictis famulabus Christi, absque ullius inquietudine perpetualiter et inrefragabiliter Deo seruire, quatenus pro nobis nostrisque domini clementiam deuotius exorent, et ut hec nostra traditio ac preceptio firmior habeatur, manu propria firmauimus et anuli nostri impressione signari iussimus.

*Signum domni Ludthuuici (L. M.) serenissimi regis.*

*Euerhardus cancellarius uice Grimaldi recognoui.*

Data Kal. Julii anno XXXIII. regni domini Luthuuici serenissimi regis in orientali Francia regnante, inductione prima. Actum Engilahem palatio regio in Dei nomine feliciter.

Das Monogramm ist nicht vollständig ausgeführt. Das Siegel, welches mit einem durchgezogenen Pergamentstreifen auf die Charte gehestet war, ist zerstört.

## XXVI.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Hludouicus diuina fauente gratia rex. Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii et necessitates ecclesiasticas nostro || relemuamus atque regali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem uitam temporaliter transigendam, et ad aeternam uitam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum sollertia, qualiter nos ob nostrae mercedis augmentum et pro remedio animae domini aui ac genitoris nostri nec non fratri nostri Hlotharii suique filii et aequiuoci, concessimus quasdam res proprietatis nostrae ad monasterium situm in Saxonia, quod nuncupatur noua Corbeia, id est uillam quae uocatur Lizzicha, ubi sunt homines L qui picturas\*) faciunt et pic-

\*) Pictura hat hier die eigenthümliche Bedeutung eines bei Weingärten gebräuchlichen Landmaasses.

turae uinearum LI et VII particulae uinearum, ubi duae carradae colligi possunt, et sunt ibi XXX feminae quae dant censem unaquaque sex siclas uini et de lino XII fusa, III pullos et XV oua, et de terra aratoria ad L modios, et de pratis ad carradas X. Has itaque praescriptas res cum omni integritate totum et ad integrum ex iure et dominatione nostra in ius et dominationem praescripti monasterii tradimus atque transfundimus, ea uidelicet ratione, ut ab hodierna die et deinceps per hoc nostrae auctoritatis praeceputum plenius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, sed Deo auxiliante, perpetuis temporibus ibi permaneant absque ulla contradictione, ut eis pro nostra ac coniugis carissimaque prole salute domini clementiam facilius exorare delectet. Et ut haec auctoritas largitionis nostrae firmior habeatur et per futura tempora a fidelibus nostris uerius credatur et diligentius obseruetur, manu propria nostra subter eam fir-mauimus et anuli nostri impressione assignare iussimus.

*Signum (L. M.) domni Hludouici serenissimi regis.*

*Hebarhardus cancellarius ad uicem Liutberti archicappellani recognoui et (L. S. R.)*

Data VII. Kal. Octob. anno XXXIII. regni domni Hludouici serenissimi regis in orientali Francia regnante, Indictione tercia. Actum Aquisgrani palatii. In Dei nomine feliciter AMEN.

Das Siegel liegt, zerbrochen und verstümmelt, lose bei der Urkunde.

## XXVII.

Abschrift, nach dem in Mähren aufgefundenen Originale berichtigt, im Besitz des Bibliothekars Mooyer zu Minden \*).

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Hludouicus diuina fauente clementia rex. Oportet igitur nos qui diuino sumus munere quodammodo prae caeteris mortalibus sublimati, eius in omnibus parere praecepsis, cuius clementia prelati sumus, ac pro suo amore loca quae fideles nostri ad laudem et gloriam nominis sui aedicare et construere ac consecrare voluerint, eis ad hoc supplementum et solarium conferre ac sub nostra defensione et tuitione suscipere, quatenus quidquid deuota mente in eisdem locis boni conati fuerint impendere perpetualiter absque alicuius molestia et inquietudine ualeat fixum et immobile permanere. Quapropter comperiat omnis fidelium nostrorum presentium . . . et futurorum sollertia, qualiter Theodericus sanctae Mindonensis ecclesiae episcopus construxit per nostram licentiam ex sua hereditate in honore sancti Petri ancillarum piarum monasterium quod dicitur Vuonherestorp, et ex hoc et in omne tempus subiecit ad potestatem sui iam dicti episcopatus, largiens ex eodem episcopatu ad memoratum monasterium decem mansus litorum et quinque seruos cum hoc quod habere uidentur, et ducenta . . . decimaruad ad subsidium piarum ancillarum, eo quoque pacto ut sub potestate successorum suorum uidelicet episcoporum consistat ad regendum prefatum coenobium, et habeant regulariter ipsae ancillae piae inter se licentiam eligendi abbatissam prout oportet futuris temporibus, et omnibus annis pro institutione subiectionis quinque solidos persoluant ad ecclesiam sui episcopatus, et deinceps maneant absque ullius inquietudine cum omnipotens Dei seruicio sine ulla quaerela suorum propinquorum, et idcirco deprecatus est celsitudinem nostram uenerabilis episcopus Theodericus, ut hoc nostrae auctoritatis preceptum scribere iuberemus, per quod decernimus atque iubemus, ut, sicut superius comprehensum est de prefato monasterio quod predictus uenerabilis episcopus construxit et ordinavit, ita deinceps per hoc nostrae auctoritatis preceptum plenius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, sed Deo auxiliante, perpetuis temporibus firmum et stabile permaneat absque ullius contradicentis obstaculo et sub nostrae immunitatis tuitione et defensione tam igitur ancillae Domini quam et res earum perennis temporibus consistant, ut eis pro nostra ac coniugis carissimeque prolixi salute Domini clementiam delectabilius exorare delectet. Et ut

\*) Für die buchstäbliche Richtigkeit ist doch nicht durchgängig einzustehen.

itaque auctoritas firmior teneatur et per futura tempora a fidelibus nostris uerius credatur et diligentius obseruetur, manu propria nostra subter eam firmauimus et anuli nostri impressione adsignare iussimus.

*Signum (L. M.) domni Hludouuici regis serenissimi.*

*Euerhardus cancellarius ad uicem Liudberhti archicappellani recognoui et (L. S. R.)*

Datum pridie Id. Octobr. Anno XXXIII. regni domni Hludouuici serenissimi regis in orientali Francia regnantis, Indictione IV. Actum in Franconoford palatio regio in Dei nomine feliciter amen.

## XXVIII.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Hludouicus diuina fauente gratia rex. Conuenit regiae dignitati semper studere ne ecclesiarum Christi status aliqua occasione labefactari incipiat. Ex hoc || enim et praesens uita sub maiori prosperitate transigitur, et aeternae beatitudinis merces maxima adquiritur. Quapropter expedit nobis sepius retractare concessiones antecessorum nostrorum, simul et nostra praecepta de immunitate ecclesiarum ab exactionibus puplicis confirmare, ut et quae prius concessa sunt, numquam infringi patiamur, et de his quae forte minus expresse annotata sunt, et ideo in antiquis praeceptis non contineri contenditur, per nouorum confectionem omnem in futuro dubietatem tollamus. Notum ergo esse uolumus omnibus tam praesentis aei quam succendentium temporum Christi fidelibus, quia nouae Corbeiae monasterium iusu gloriosi genitoris nostri constructum est in honorem sancti Stephani protomartyris Christi, atque per voluntatem eiusdem Imperatoris corpore est beati Uiti martyris insignitum, sed et ex integro ab omnibus puplicae exactionis officiis et expeditione hostili tam de litis quam de ingenuis hominibus terram eius incolentibus absolutionem promeruit, in quo et nos comprehensum existimauimus, et hactenus obseruatum comperimus, ut decimae de dominicatis eiusdem monasterii mansis non darentur episcopis, sed ad portam monasterii darentur in elemosinam praefati genitoris nostri et totius prosapiae eius, ut uidelicet esset unde ministraretur peregrinis et hospitibus qui numquam desunt monasterio. Nunc uero exorta questione per quosdam episcopos, utrumnam hoc eidem monasterio genitoris nostri nostroque praecepto concessum sit, quanquam ut ipsi dicunt nominatim non sit expressum, sub generali tamen concessione liberae dispositionis rerum suarum, etiam hoc comprehesus fatemur, sicut et seniori Corbeiae, ad cuius normam haec noua instituta est, et praecepis quibusque monachorum monasterii antecessores nostros concessisse conperimus. Et ne deinceps hinc aliqua dubietas fiat, rogatu uenerabilis uiri Adalgarii abbatis eiusdem Monasterii per hoc nostrae potestatis praeceptum decernimus atque iubemus, ut et omnia quae prius habuit immunitatis praecepta rata et inconuulsa habeantur, et per hanc conscriptionis nostrae cartam specialiter ei concessum sciatur, ut de dominicatis mansis uel nunc habitis uel post acquirendis a reddendis decimis plenam idem monasterium habeat immunitatem, Nisi sicut hactenus fuit, uidelicet ad portam monasterii in susceptionem hospitum et peregrinorum. His omnibus astipulari recens Adriani apostolici praedato abbatи collatum priuilegium cognouimus, dum huius apud nos controuersiae questio uentilaretur. Et ut haec auctoritas nostrae largitionis firmior habeatur atque per futura tempora a fidelibus nostris uerius credatur, manu propria subter eam firmauimus atque anuli impressione signari iussimus.

*Signum (L. M.) domni Hludouuici serenissimi regis.*

*Hebarhardus cancellarius ad uicem Liudberhti archicappellani recognoui et (L. S. R.)*

Data XVI. Kal. Jul. anno ab incarnatione dominica DCCCLXXIII. regni autem domni Hludouuici serenissimi regis in orientali Francia regnante anno XXXVII. Indictione VI. Actum Aquisgrani Palacii in Dei nomine feliciter. AMEN.

Das Siegel ist verloren gegangen.

## XXIX.

Aus dem Kopialbuche des Stiftes Corvey.

Adrianus episcopus seruus seruorum Dei. Adalgaro religioso abbati uenerabilis monasterii sanctorum martirum Stephani atque Viti, quod nuncupatur noua Corbeia, et per te in eodem uenerabili monasterio in perpetuum. Conuenit apostolico moderamini pia religione pollutibus beniuola compassione succurrere, et poscencium animas alacri deuotione congruum impertiri assensum. Ex his enim lucri potissimum premium a conditore omnium Domino promeremur, dum uenerabilia loca oportune ordinata ad meliorem siue firniorem fuerint sine dubio statum perducta. Et ideo cum constet religionem tuam nostrae sollicitudinis pontificio satis humiliter suggestisse, quatinus prefatum monasterium sub perenni defensione sanctae sedis apostolicae, cui licet indigni preesse dinoscimur, recipere dignaremur, decernentes scilicet atque apostolica auctoritate modis omnibus statuentes, ut et idem monasterium priuilegii nostri decore finetenus uigeat, et monachi qui illic Domino cotidianis laudibus famulantur, de propriae congregationis collegio post tuum decessum deinceps, quem diuinitate summa annuente omnes concorditer elegerint ordinandi abbatem habent facultatem. Et quia asseris, nuncupatum ipsum monasterium munificencia principum in prediorum facultatibus ditatum fuisse, petis et suggeris ut tam hoc quod nunc possidet quam etiam quod a fidelibus illic fortassis oblatum siue collatum fuerit emissa preceptione confirmare nichilominus dignaremur. Super quibus non solum in Domino gauisi sumus, uerum etiam quia pia esse conspeximus, ut moris est apostolici ad tibi hec impendenda amore Dei illecti utis tuis fauere decreuimus. Qua propter a presenti sexta inductione iam dictum monasterium in apostolicae auctoritatis defensionem immo perpetuam recipimus tuitionem, et omnia predia illius, tam ea scilicet quae a gloriois principibus uel aliis Christi fidelibus ibi collata sunt et concessa, quam illa quae deinceps prestante Domino conferri poterunt et concedi ibidem siue mobilia siue immobilia confirmamus, et ut a quolibet non usurpentur, inuadantur aut rapiantur auctoritate apostolica promulgamus, iubemus ac definimus. Nichilominus inuiolabiliter apostolica censura ad nostrae mercedis augmentum decernimus, ut omne fas atque omnem licenciam habeant monachi eiusdem monasterii, tales de suis semper abbatem eligere, qualem omnium uota concorditer postulauerint et sibi preficiendum fore uno animo gratia sancti spiritus suffragante illic Domino famulantes uoluerint, nec quisquam presumat alienum siue extraneum illic umquam abbatem constituere aut introducere, sed sicut diximus tales de ipsa congregatione qui eidem monasterio regulariter presint, cum uel tu de hac uita uocatus ad Dominum demigraueris, uel tempore succidente ab unanimitate omnium eligantur qui uitam et omnem monasteriale ordinem teneant et cuncta cum timore Dei et reuerencia regularis disciplinae dispensare summopere fiant, Statuentes apostolica censura sub diuini iudicij attestatione et anathematis interdictu, ut nulli umquam paruo uel magno homini, cuiuscumque sit dignitatis uel ordinis, liceat hanc nostrae auctoritatis quam pio intuitu promulgauimus sanctionem infringere aut floccipendere uel in toto siue in parte quoquo modo uiolare, Et si, quod non credimus, temerario ausu quisquam uel nunc uel umquam transgredi, contempnere, uiolare aut hanc nostram preceptionem infringere presumpserit et non in omnibus obseruauerit, sciat se anathematis uinculis innodandum et a regno Dei penitus sequestrandum. Qui autem uerus custos huius apostolicae piae sanctionis studiosus obseruator extiterit, benedictionem et misericordiam uitamque aeternam a domino nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Stephani notarii Camarae sanctae Romanae ecclesiae, Imperante domino nostro piissimo perpetualiter augusto Hluthoulico a Deo coronato magno imperatore anno uigesimo quarto, Et post consulatum eius anno uigesimo quarto, mense Octobrio, inductione sexta. Bene ualete. Data Idus Octobris, per manus Sergii primicerii defensorum sanctae sedis apostolicae.

## XXX.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Hludouicus diuina fauente gratia rex. Si locis Deo dicatis nostrae regiae potestatis beniuolentiam impenderimus, hoc nobis ad aeternae || remunerationis prae-mia capessenda profuturum liquido credimus. Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam et futurorum industria, qualiter uir uenerabilis nomine Luithardus episcopus scilicet aeccliae constructae in honore sanctae Mariae semper uirginis et sancti Chiliani in loco qui dicitur Paderbrunno attulit in praesentiam nostram aui nostri püque genitoris nostri conscripta, in quibus continebatur qualiter ipsi antecessores nostri res praefatae aeccliae cum hominibus in ipsis rebus consistentibus sub illorum receperunt mundeburdo et tuitione, precatusque est nostram mansuetudinem, ut hoc ipsum a nostrae regiae potestatis consensu fieri non recusaremus. Nos autem ob amorem Domini et ob remedium animae pii genitoris nostri caeterorumque antecessorum nostrorum nec non et pro nostrae mercedis augmentatione paternos mores sequentes et benignitati eius consentientes, ita fieri decreuimus. Praecipientes ergo iubemus, ut nullus iudex publicus uel quislibet ex iudicaria potestate in aecclias aut loca uel agros seu reliquas possessiones iam dictae aeccliae, quas nunc infra dicionem regni nostri legibus possidet, uel quae deinceps in iura ipsius loci diuina pietas uoluerit augeri, ad causas iudicario more audiendas uel freda exigenda, mansiones uel paratas faciendas aut fideiussores tollendos aut homines ipsius ecclesiae contra rationem distingendos, nec ulla reddibitiones uel inlicitas occasiones requirendas ullo umquam tempore ingredi audeat, uel ea quae supra memorata sunt penitus exigere praesumat, hominibus quoque famulatum eiusdem monasterii facientibus in Hursteromarku, qui saxonice Malman dicuntur, praedictum mundeburdum et tuitionem nostram constituimus, ut etiam coram nulla iudicaria potestate examinentur nisi coram episcopo aut aduocato quem eiusdem loci episcopus elegerit. Quicquid uero fiscus exinde sperare potuerit, praedictae aeccliae ad stipendia pauperum et luminaria concedimus. Et ipse episcopus cum omnibus rebus suis nostro fideliter pareat imperio et sub nostra consistat defensione, quatinus ipsum fratresque eiusdem loci pro nobis, coniuge proleque nostra Dominum melius exorare delectet. Et ut haec nostrae consensionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria nostra subter eam firmauimus et anuli nostri impressione assignari iussimus.

*Signum Hludouici (L. M.) serenissimi regis.*

*Arnulfus cancellarius ad uicem Luitberti archicapellani recognoui.*

Data Nonas Junii. Anno dominicae incarnationis DCCCLXXXI. Indictione XIII. Auno Vto regni Hludouici serenissimi regis. Datum Franconofurt. In Dei nomine feliciter Amen.

Das Monogramm kommt mit denen Ludwigs des Deutschen überein. — Das aufgedruckte Siegel zeigt das Brustbild des Königs.

## XXXI.

**XP.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Karolus diuina clementia Imperator augustus. Si peticiones seruorum Dei nostrorumque fidelium, quas pro suis necessitatibus et maxime pro ecclesiarum Dei utilitatibus nobis || suggesterint, ad effectum perducimus, non solum honorificam Imperialis liberalitatis exercemus consuetudinem, uerum etiam ad aeternae retributionis mercedem talia credimus nobis facta profutura. Unde nouerit omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum industria, quod fidelis noster Bobo abbas monasterii quod uocatur noua Corbeia et situm est in Saxonia, dedicatum uero in honore sanctorum martirum Stephani atque Uiti, insinuauit amplitudini nostrae, qualiter idem monasterium beatae memoriae auus noster Hluduuius Imperator primitus inchoauerit et statim inter ipsa constructionis eius exordia concesserit, ut neque abbates illius loci, neque homines eorum cuiuscumque con-

ditionis in expeditionem umquam ire deberent, sed liceret eis cum quiaete ac securitate praefatę utilitates ecclesiae prouidere, nec non et regii interdum legationibus exequendis ubi opus esset operam dare. Quam concessionem firmam in futurum esse uolumus, licet ad presens eam instantis periculi necessitas paululum minuere cogat. Nam propter immensam barbarorum infestationem necesse habemus cum uniuerso populo nobis diuinitus commisso ecclaeiae Christi defensioni insistere, et ob hoc non omnes sub memorati loci dominio consistentes a profectionibus in hostem inmunes relinquere possumus, sed quoniam eiusdem loci abbates missaticum regium peragere soliti erant, concedimus eis ut triginta homines nobiles ab aliis profectionibus secum immunes habeant, et si extra patriam est legatio peragenda, plures nobiles ad hoc opus paratos teneant, reliqui uero cum suo populo in hostem proficiscantur. Et hoc quandiu tanta bellorum pericula imminent. Ubi uero diuina pietas pacem dederit, concessionem quam temporibus gloriosae memoriae aui, genitoris et germani mei habuerunt, firmam et stabilem manere uolumus. Tradimus etiam in remedium animae nostrae et patris nostri et fratri et in elemosinam progenitorum nostrorum quaedam beneficia ad prefatum coenobium in propriam hereditatem, scilicet in Uuehsigo quinque mansos et II. familias quos habuit Liuduard in beneficium, et in Hession V. mansos et duas litorum familias quas habuit olim Remeias in beneficium, et in Marca Asseki in villa Etrikeshusun quicquid ad regium ius pertinet in terris, siluis et mancipiis. Concedimus quoque partem uille quae dicitur Ouenhus, quam habuit olim Uuihric comes in beneficium, et quatuor mansos in Sinufeldun, quos Lantuardus habuit in beneficium. Et ut haec nostrae largitatis concessio pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria firmauimus et anuli nostri impressione assignari iussimus. *Signum (L. M.) domni Karoli serenissimi augusti. Liutfre-*  
*dus notarius ad uicem Liutuardi archicancellarii recognoui et (L. S. R.)*

Data Non. Mai. Anno incarnationis Domini DCCCLXXXVII. Indictione IIII. Anno uero regni domni Karoli XI. Imperii autem VII. Actum Uuebilinga villa in Dei nomine feliciter amen.

Das Siegel ist verloren gegangen.

### XXXII.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Karolus diuina fauente gratia serenissimus Imperator Augustus. Si locis Deo dicatis nostrae imperiali potestatis beniuolentiam impenderimus, hoc nobis ad aeternae remunerationis prae|mia capessenda profuturum fore liquido credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum cognoscat industria, qualiter uir uenerabilis nomine Biso episcopus scilicet aecclesiae constructae in honore sanctae Mariae semper virginis et sancti Chiliani in loco qui dicitur Paderbrunno attulit in presentiam nostram beatissimorum auorum nostrorum augustorum, piique genitoris nostri conscripta, in quibus continebatur, qualiter ipsi antecessores nostri res praefatae aecclesiae cum hominibus in ipsis rebus consistentibus sub illorum receperunt mundeburdo. Precatusque est mansuetudinem, ut hoc ipsum a nostrae imperialis potestatis consensu fieri non recusaremus. Nos autem ob amorem domini et ob remedium animae pii genitoris nostri ceterorumque antecessorum nostrorum, nec non et pro nostrae mercedis augmento, paternos mores sequentes et benigitati eius consentientes, ita fieri decreuimus. Praecipientes ergo iubemus, ut nullus iudex publicus uel quislibet ex iudicaria potestate in ecclesiis aut loca uel agros seu reliquas possessiones iam dictae aecclesiae, quas nunc infra ditionem regni nostri legibus possidet, uel quae deinceps in iura ipsius loci diuina pietas uoluerit augeri, ad causas iudicario more audiendas, uel freda exigenda, mansiones uel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius aecclesiae contra rationem distingendos, nec ullas redibitiones uel iniustas occasiones requirendas. Hollum umquam tempore ingredi audeat, uel ea quae supra memorata sunt penitus exigere presumat. Hominibus quoque famulatum eiusdem monasterii facientibus in Husteromarcu qui saxonice Malman dicuntur,

praedictum mundeburdum et tuitionem nostram constituimus, ut etiam coram nulla iudicaria potestate examinentur, nisi coram episcopo aut aduocato quem eiusdem loci episcopus elegerit. Quicquid uero fiscus exinde sperare potuerat, praedictae aecclesiae ad stipendia pauperum et luminaria concedimus. Et ipse episcopus cum omnibus rebus suis nostro fideliter pareat imperio, et sub nostra consistat defensione. Quatinus ipsum fratresque eiusdem loci pro nobis dominum melius iugiterque exorare delectet. Et ut haec nostrae consensionis auctoritas pleniorum in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria nostra subter eam confirmauimus et anuli nostri impressione assignari iussimus.

*Signum domni Karoli (L. M.) serenissimi Imperatoris Augusti,*

*Amalbertus cancellarius ad uicem Liutberti archicappellani recognoui et (L. S. R.)*

Data XI. Kal. Octobr. Anno dominicae incarnationis DCCCLXXXVII. Indictione V. Anno uero regni KAROLI serenissimi Imperatoris Augusti, in Italia VII. in Francia V. in Gallia III. Actum ad Lustinaua curte regali in Christi nomine feliciter AMEN.

Das aufgedruckte kleine kreisförmige Siegel zeigt das rechts sehende Brustbild des Kaisers, unbärtig und mit unbedecktem Haupte, aber mit Schild und Lanze; mit der Umschrift: Karolus Imperator.

### XXXIII.

Aus dem Original-Codex der vita Waltgeri.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Arnulfus gratia Dei rex. Si seruorum Dei peticionibus quas pro ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus nobis suggesserint, clementer annuere ac pie prospicere uolumus, et ad presentis uite cursum prospere peragendum, et ad future beatitudinis premia promerenda id nobis profuturum liquido credimus. Unde omnibus sancte Dei ecclesie nostrisque fidelibus notum esse uolumus, quod fidelis noster Bouo abbas monasterii quod uocatur noua Corbeia insinuauit celsitudini nostre, qualiter ipsum monachorum cenobium sibi commisum, nec non et monasterium puellarum constitutum in loco Heriuort nuncupato, cui preest abbatissa nomine Hatwigis, a uenerande memorie antecessore nostro Lodowico, pro eterna ipsius omnisque gloriosissimi generis sui memoria primum constructa, ac deinde tam illius quam filii sui serenissimi regis Lodowici et successorum eius largitionibus illustrata, et defensione ac tuitione actenus fuerint conseruata. Quam ob rem nostram implorauit clementiam, ut eadem monasteria sub nostra tuitione suscipientes, omnes donationes atque concessiones a progenitoribus ac predecessoribus nostris eis collatas nostre auctoritatis precepto firmare ac stabilire uellemus. Cuius rationabili et iuste petitioni assensum prebentes, decernimus atque iubemus in primis ut utrumque cenobium cum omnibus ad ea pertinentibus plenissime immunitatis securitate fruatur, sicut ab antecessoribus nostris eis concessum fuerat, et in eorum preceptis continetur, neque publicis exactionibus uel quibuscumque modis illorum homines a qualibet iudicaria potestate distringantur. Sed nec prefatus abbas eiisque successores aliquando in hostem ire cogantur, sed sicut antea eis a predecessoribus nostris concessum fuit, omnes suos uassallos nobiles secum in pria ab expeditionibus uacantes habeant. Inferioris uero conditionis quantis opus habuerint, ad legationem nostram et ad monasterii utilitatem, prout necessitas flagitat peragendam. Deinde supradicta monasteria cum uniuersis rebus suis ita in nostram tuitionem ac defensionem suscipimus, ut eorum decimas uel possessiones, siue regia donatione siue aliorum fidelium traditione attributas uel proprio labore acquisitas, nulla cuiuscunque ordinis aut dignitatis persona quolibet modo eis auferre presumat. Sed et episcopi qui ecclesias ad ea pertinentes officii sui causa debent adire, non exigant maiores sumptus ad sua mansionatica, quam primum statutum fuerat, et in capitulari libro descriptum habetur. Preterea quod ab exordio constructionis eorundem monasteriorum a nostris antecessoribus constitutum est, nos quoque firmiter seruari uolumus, uidelicet ut ubicumque casas uel cortes habuerint, ex rebus quas bidem sus laboribus acquirunt, decimas dent ad portam monasterii, nec alibi eas dare cogantur, quatinus

inde, in nostram ac totius generis nostri perennem mercedem, superuenientibus peregrinis et hospitibus seruiatur, sicut in capitulari et in decreto sinodali permisum est. Scenodochia et reliqua fidelium pauperumque construi hospitalia, et mos fuit semper in sacris concedi cenobiis. Proinde utrique congregationi regularis electionis potestatem concedimus, ut et monachis inter se abbatem, et sanctimonialibus similiter abbatissam, dum ita res exigit, eligere liceat. Ad extreum quoniam superius nominatus cesar Lodowicus gentem quam pater suus serenissimus imperator Karolus ferro edomitam ad christianitatis fidem conuertit, ad memoriam paterne uirtutis et religionis, monasteriorum constructionibus illustrare disponens, hec duo ad perpetuam tam ipsius quam uniuerso ut supra dictum est gloriosissime prosapie sue elemosinam, secundum antiquam monastice discipline rectitudinem construi et ordinari precepit. Idecirco nos ea cunctorum fidelium nostrorum precipue episcoporum, in quorum parrochiis uel ipsa uel eorum res sunt posite tuiciom ac benignitatim commendamus, ut eis, ubi illorum ope indiguerint, prouidentiam et auxilium magis exhibeant, quam molestiam ingerant, nec in ipsorum ecclesiis a suis presbyteris missarum celebrations fieri interdicant, sed si quid sui iuris sibi inde negari putant, ad nostram presentiam et synodalis examinis iudicium deferant. Iustum est enim ut eis prosit, quod semper sub imperiali et regia predecessorum nostrorum tuitione fuerunt, et quod defensionem et confirmationem rerum suarum a potestate beati Petri per precepta sedis apostolice consequi meruerunt. Vt autem omnibus innotescat, nos nichil ex hiis que antecessores nostri ad eadem loca donauerunt uelle minuere, etiam ex nostro addere aliquid decreuimus, concedentes ad subsidia fratrum in prefata noua Corbeia domino seruientium, punctionem in Medrike et in uiciniis locis que ad nostrum ius pertinebat, atque uniuersum beneficium quod Norbertus eius prouisor habuit, una cum omnibus mansis et familiis que ad ipsam punctionem prouidentam et ad predicti Norberti beneficium pertinebant. Hec uero auctoritatis nostre concessio, ut pleniorem in Dei nomine optineat firmitatem, manu propria subter eam firmauimus et anulo nostro assignari iussimus.

*Engilbero notarius ad uicem Theotmari archicappellani recognoui.*

Data III. Idus Decembris anno incarnationis Domini DCCC.LXXXVII \*) Indictione VI. anno I. regni domni Arnulfi piissimi regis. Actum Phorpheim palatio regio in Dei nomine feliciter AMEN.

#### XXXIV.

Conuenit episcopali auctoritati, pie solliciteque semper cogitare, quatinus ita ecclesiarum Dei sollicitudinem habeant, ut sacris locis, in quibus iugi Deus famulantum sedulitate placatur, oportuna conferre suffragia non detrectent. Vnde ego Liudberhtus licet indignus Magontiacensis archiepiscopus, omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus suggero, quia uenerabilis frater noster Bouo abbas monasterii quod uocatur noua Corbeia, attulit nobis quamplura cyrographa gloriosissimorum principum, ad confirmationem priuilegiorum eiusdem monasterii promulgata, inter quæ proxime ei collatum, communiter et ipsius et Herifordensis monasterii statum confirmabat, datum scilicet a gloriose rege Arnulfo his ipsis diebus nouiter ad regnum proiecto. Super hec etiam cartas duas ostendit Romanorum pontificum Adriani atque Stephani, in ipsis cartis concedentium, ut in tuitione sancte sedis apostolice prefatum nouae Corbeiae monasterium perpetualiter haberetur, simulque apostolica auctoritate decernentium, ut idem monasterium plenissimam habeat immunitatem ab omnibus quoquo modo foris uel intus monasterium in res ad illud pertinentes sese preter uoluntatem abbatum loci ipsius permiscere cupientibus. His igitur omnibus apud nos relectis, petuit prefatus uenerabilis abbas, quo et ea quæ sacris litteris piissimorum principum confirmata fuerant, nostra quoque auctoritate roboraremus, et his quæ ab apostolica sede decreta sunt, nostre subscriptionis cartulam adiungeremus. Nos itaque considerantes religiosam eius esse petitionem, pastoralisque esse officii, seruouimus.

\*) Die Abschrift in der vita Waltgeri hat die fehlerhafte Jahrzahl DCCCLXXXVI.

rum Dei iugiter utilitati commodisque prospicere, decernimus ut prefata duo monasteria, Corbeiense uidelicet monachorum, atque Herifordense sanctimonialium, de omnibus rebus quae uel in communi supra memorati principis carta, uel specialibus aliorum principum preceptis confirmat̄ eis esse noscuntur, nihilo minus talem ex ecclesiastica et episcopali sanctione obtineant firmitatem, ut nihil habeant, unde se tueri possint, quicumque sibi promittunt hęc aliquo modo se posse immutare uel infringere. Habeant igitur prefata monasteria rerum suarum liberam in omnibus disponendi regulariter potestatem, ut quęcumque eisdem monasteriis in auro uel argento, in agris et famulis seu quibuslibet rebus fuerint oblata siue in presenti die collata esse constant, in dispositione maneant eorum qui eisdem locis prelati sunt, ut quicquid secundum Dei timorem regulariter et canonice disposuerint ad ecclesię ipsius utilitatem, liberam in omnibus, cum consilio fratrum sororumue, faciendi habeant potestatem. Et ut plenius prosequamur quod sanctos apostolicos iam dietos intendisse sentimus, atque ante eos beatum Gregorium et reuerendę memorię Nicolaum sanxisse de statibus monasteriorum inuenimus, nos humiliter tantis auctoritatibus subscribendo confirmamus, ut nullus episcopus Padrabunnensis aliquam ex eis uel accipiat uel exposcat portionem, neque uel in his qui regiminis locum tenent, uel in ipsis congregationibus aut in ipsis coenobiis potestatem obtineat, neque ipsorum dominatione potiatur ulla, neque in clericis neque in famulis, et in omnibus quęcumque ad monasteria ipsa uidentur habere possessiones respectum, sicut ab omnibus eis hactenus seruatum et consensum est episopis, in quorum parroechiis res eorundem monasteriorum coniacere uidentur. Nec ad ipsa monasteria uel cellas eorundem uel ipse per se uel economus eius uel archipresbiter aut archidiaconus illius seu quelibet ex eius agentibus persona potestatem habeat accedendi, nisi forte necessitatis causa uel dilectionis gratia uocatus aduenerit, ne importunitate sui ministrorumque suorum inquietudine, sacris locis fiat molestia, neque in ecclesię prefatis monasteriis subiectis, uel in presbiteris eisdem ecclesię ordinatis, aliquam temptet facere perturbationem, noua constituendo et antiquam constitutionem uiolando, sed sicut regulariter et canonice disposita sunt et longo iam tempore manentia, ita quoque futuris temporibus maneant inconcussa. Ordinationes quae necessarię fuerint ipsis monasteriis agere non differat, altaris quoque et basilicarum benedictiones siue consecrationes prout necessitas postulauerit, uel in ipsis monasteriis, uel in agris eorum libenter concedat. Chrisma quoque oleumque consecratum per singulos annos prēbere non differat, et pro his omnibus nullum munus exigat, ne spiritus sancti gratiam uendere conatus, Symonis quod absit damnationem incurrat. Hoc constitutum non solum Padrabunnensem, uerum etiam omnium locorum episopos, ubicumque prefata monasteria uel ecclesias uel agros uel familias habere noscuntur, obseruare sine cunctatione seu contradictione oportet, ut nullus potestatis iure rebus eorundem monasteriorum abutatur, sed maneant omnia in potestate eis prēlatorum et regulari dispositione, quęcumque ut diximus uel in agris, uel in familiis, uel in decimis eis constant esse collata, sicut et apostolica et imperialia pręcepta partim simul partim singillatim eis confirmauerunt. Abbatem uero uel abbatissam in his locis eligendi semper habeant potestatem, et eam personam elegant, quę propositum conuersationis in utrolibet monasterio et moribus et habitu profiteatur, non canonicum aut laicum, neque alterius monasterii monachum. In quo specialiter nos audire dignetur regia dominatio, ut nullam eisdem monasteriis prēponant personam, quę non ab ipsis congregationibus fuerit regulariter electa. Debent enim mundi principes honorem prestare Deo, quem sibi uolunt prestari a Deo, uidelicet ut quemadmodum cupiunt a Deo sibi collatum regni honorem conseruari, sic ecclesię Christi suam non dedignentur seruare legem. Non enim decet neque iustum uideri poterit, ut sibi militantibus de ecclesię Christi possessionibus mercedem restituant, et quod de re publica sua retribuere debent, id reddere uelint de his quę collata sunt Deo. Qua de re nouerit clementia uel nunc consistentium, uel successionis iure omnium futurorum principum, a sede apostolica sancitum nostraque subscriptione roboratum, nec non et antecedentium regum pręceptis cautum, ut predictis monasteriis nullas preficiant personas de quocumque ordine, nisi quę per electionem probabilem sumatur. Quoniam uero multę queruntur ab importunis hominibus malignitatis occasione, et necesse est semper aduersari tela clipeo protectionis repellere, quod apostolica

decreuit auctoritas, nos quoque approbamus, ut qui ordinati fuerint ad regimen sepe dictorum monasteriorum, nulla potestate preualente deiciantur, nisi criminis causa fuerint deprehensi, cuius merito rectorum non debeant administrare officium. In famę uero maculis siue criminis alicuius denotatione si fuerint appetiti, non preter canonican et regularem deponantur examinationem. Si quis ergo apostolicę sedis decretum, cui nos hanc confirmationis cartulam ueneranter subscrisimus, contempserit, procul dubio damnationis censuram suscipiet, quam credimus diuino spiritu per apostolicam linguam prolatam. Nos igitur nostram subscriptionem anuli nostri impressione signantes, obsecramus fratres et coëpiscopos nostros omnes, in quorum manus ista deuenerint, ut sua etiam auctoritate et subscriptione hec confirmare uelint, ut qui cunque hec temerare presumpserit, generalitatis nostrę sententiis ita anathematis vinculo obligetur, ut neminem habeat, de cuius fauore sibi blandiatur aut se tueri posse putet a sententia damnationis. Cunctis autem ista seruantibus sit pax domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bonę actionis recipiant, et apud districtum iudicem premia eterne quietis inueniant. Et quia apostolicę auctoritatē subscribentes ista edidimus, iustum est ut illam sacram sedem etiam in hoc honoremus, ut appellations ad eam fieri licet a predictis locis cum necessitas fuerit, Eo uidelicet tenore, ut si hoc constitutum ab aliquo fuerit prevaricatum, metropolitanus eorum episcopus, quo ego nunc licet indignus fungor officio, personam huius sanctionis uiolatricem conueniat, et huius nostri decreti testificationem innotescat, utque ab eo quod prae gessit recedere non moretur, ex communi omnium coëpiscoporum auctoritate contestetur. At si ille contumaciter in sui facti perpetratione perstiterit, licentia eis sit Romanam apostolicamque sedem adire et necessitatis sue causas ante papam qui tunc fuerit urbis Romę deponere, ut per eum cognita causa reus iuste damnationis sententia multetur.

Folco munere diuino metropolitanus ecclesię Remensis episcopus tenorem huius sanctionis perlegens et diligenter pertractans, in omnibus eam probandam et corroborandam esse iudicauit, tam propter antiquum ius monasteriorum etiam his coenobiis conseruandum, quam ad precauendas nihilominus molestias hic summatim prohibitas, que modernis temporibus contra sacra monasteria per quosdam episcopos recenter ordinatos, nec non etiam per quorundam laicorum infestationem grassari coeperunt. Ad quas inhibendas rationabilis ordo seruatus est, ut et gloriosorum principum hic concessiones, et pontificum Romanorum priuilegia, et archiepiscopi eiusdem monasterii his omnibus astipulatio, et ut ceteri uelint episcopi assensum prebere, nequaquam spernenda hic contineatur petitio. Cuius gratia illectus simul et presentialiter ab eodem ueneribili archiepiscopo Liudberhto, nec non et a Bouone religioso eiusdem monasterii abbate rogatus, hoc decretum episcopali auctoritate ratum esse decernens, in nomine patris et filii et spiritus sancti confirmaui et subscrispi.

Williberhtus Agrippinensis ecclesię archiepiscopus huic decreto meę mediocritati recitato attestacionem et assensum prebens, quod necessario ac rite promulgatum sit, sub obtestatione nominis Domini nostri illud confirmaui et subscrispi.

Thiadmarus ecclesię Salzburgensis archiepiscopus huic decreto consensi et subscrispi.

Redbodo Treuerensis archiepiscopus approbauerit et subscrispi.

Johannes Rotomagensis archiepiscopus consensi et subscrispi.

Hildegrimus Haluerstadensis episcopus consensi et subscrispi.

Adalarius ecclesię Hammaburgensis archiepiscopus consensi et subscrispi.

Liutuardus Uercellensis ecclesię episcopus consensi et subscrispi.

Arn. Uuirziburgensis ecclesię episcopus consensi et subscrispi.

Hrodberhtus Mettensis ecclesię episcopus consensi et subscrispi.

Adalhelmus Uurmäcensis episcopus consensi et subscrispi.

Godethancus Spirensis episcopus consensi et subscrispi.

Vuicberhtus Hildineshemensis episcopus consensi et subscrispi.

Deth. Uuirdinensis ecclesię episcopus consensi et subscrispi.

Dodilo Camaracensis ecclesie episcopus consensi et subscripsi.  
 Honoratus Beluacensis ecclesie episcopus consensi et subscripsi.  
 Heidilo Nouiomagensis ecclesie episcopus consensi et subscripsi.  
 Balthramnus Strazburgensis episcopus consensi et subscripsi.  
 Vualdo Frisingensis ecclesie episcopus consensi et subscripsi.  
 Thiadulfus Curacensis ecclesie episcopus consensi et subscripsi.

Die Schrift der Urkunde ist eine schöne und sehr charakteristische germanische Minuskel. Die Unterschriften der Bischöfe sind in zwei Reihen, deren jede etwa ein Drittel der ganzen Breite der Urkunde einnimmt, so dass ein Drittel leer geblieben ist, und zwar sämmtlich von einer, dem Texte der Urkunde gleichförmigen Hand, geschrieben; nur die Unterschrift des Bischofs Hildigrim von Halberstadt, welche am Ende der ersten Reihe steht, ist von einer besonderen Handschrift. — Das unten seitwärts aufgedruckte Siegel ist zerstört, und nur noch ein formloses unkenntliches Bruchstück davon übrig.

### XXXV.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Arnulfus diuina fauente gratia rex. Conuenit regiae excellentiae ut inter fideles suos mutuam utilitatem prouidere et de singulorum rationabilibus commodis assensum prebere uelit. Quapropter omnibus notum esse uolumus, || quoniam inter fideles nostros Bouonem abbatem et Oddonem comitem pro mutua utilitate hanc commutationem fecimus, ut res proprietatis nostre in Godeleueshem et in pago qui dicitur Nithersi, Oddoni beneficiatas, ad monasterium noue Corbegae, cui prefatus preest abbas, in ius proprietatis traderemus, cum omnibus familiis, mancipiis, agris, pratis, siluis, aquis aquarumque decursibus, et omnibus omnino rebus tam mobilibus quam immobilibus, quatinus ex hoc ad predictum monasterium cum omni integritate mancipentur, e diuerso autem res eiusdem monasterii in orientali parte ultra fluum Ouaccram coniacentes in nostrum ius cum omnibus quae ad eas pertinent receptas Oddoni in beneficium concessimus, id est in Dalhem litos XIII. Colonum I. et sextam partem salinarum. In Odonhem litos XIII. Colonos II. In Kikthi litos II. In Leri litos XV. Colonum I. mansos II. et dimidium. In Lauhingi Colonum I. In Scodersted litos II. In Mallumstedi litos III. In Sophingi mansos V. In Uradii litos VII. mansos XII. In Rodenesleua litos XX. mansos LX. In Dallangibudli colonos et mansos XV. In Heriuuidi colonos et mansos XVI. In Sladforde colonos VII. et octauam partem totius marcae. In beneficio aduocati mansos VIII. In Ailmundesrothe mansos XX. Utique ergo per hoc parti consuluimus eo quod utrimque maior commoditas in locorum situ habeatur, quam antea fuerit, et ut firmior ista omnibus in futurum temporibus constent, manu propria roborata, anuli nostri impressione signari precepimus.

*Signum domini Arnolfi (L. M.) serenissimi regis.*

*Aspertus cancellarius ad uicem Theotmari archicappellani recognoui et (L. S. R.)*

Data IIII. Id. Jun. Anno dominicae Incarnationis DCCC.LXXX.VIII. Indictione VI. Anno uero domini regis ARNOLFI largissimi regis primo. Actum Franchonofurt palatio regio, in Dei \*) feliciter AmeN.

Das noch gut erhaltene Siegel zeigt das seitwärts sehende Brustbild des Königs, mit Schild und Lanze, und der Umschrift: Arnulfus Rex.

\*) nomine fehlt.

## XXXVI.

E Strunckii notis crit. ad Schatenii annales, msct.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Arnulfus diuina fauente clementia rex. Si fidelium nostrorum petitionibus pie annuimus, eorumque commoditatibus pro Dei amore succurrimus, sempiternae retributionis compendia inde nobis impertiri minime dubitamus. Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum tam presentium quam futurorum solertia, quoniam Vuolhelmus uenerandus ac dilectus episcopus noster, mansuetudinis nostraræ dignitatem precatus est, ut quasdam iuris nostri casas sibi in proprium concederemus. Cuius supplicationi libenter satisfacientes, dedimus ei in pagis qui uocantur Gifaron et Reimdi\*), inter dua loca Seliheim et Solisun, quidquid inibi fratres eius prius in beneficium habuerunt, cum omni integritate sua perpetuo iure in proprietatem, cum curte et casa omnibusque aedificiis, familiis et mancipiis utriusque sexus, agris, pratis, pascuis, siluis, aquis aquarumue decursibus, molendinis, piscationibus, uisi et inuisi, accessibus et regressibus, cultis et incultis, quaesitis et inquirendis, mobilibus et immobilibus, et cum omnibus iuste et legitime ad easdem hobas aspicientibus. Haec omnia supra nominato presuli dedimus atque per hoc auctoritatis nostraæ preceptum de iure et dominatione nostra sibi in ius et dominium donauimus atque tradimus, eo scilicet rationis tenore, ut ab hodierna die ac deinceps perpetuis temporibus liberam securamque habeat potestatem tenendi, donandi, uendendi, commutandi, uel quidquid exinde in omnibus sibi placuerit faciendi, nullo umquam tempore successore nostro irrumpente neque immutante, sed Deo opitulante haec donatio nostra stabilis et inconcussa persistat, muniminis nostri auctoritate semper roborata. Et ut haec largitionis nostraæ auctoritas inuiolabilem obtineat stabilitatem, manu propria subtus eam firmauimus anuloque nostro assignari iussimus.

*Signum domni Arnolfi (L. M.) serenissimi regis.*

*Aspertus cancellarius ad uicem Theotmari archicapellani recognoui et S.*

Data II. Non. Julii, anno dominicae incarnationis DCCCLXXXVIII. Indictione VII. anno autem regni domni Arnolfi serenissimi regis II. Actum Franconofort.

## XXXVII.

Nach dem, gegenwärtig in Privatbesitz befindlichen, Originale.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Arnulfus diuina gratia rex. Notum sit omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum industriae, qualiter quaedam religiosa || femina Friduuui nomine nostram adiit serenitatem, petens ut ei liceret omnem sui iuris hereditatem nostraræ potestati tradere, quatinus nostraæ auctoritatis permissione daretur ei licentia construendi in eadem hereditate puellaris monasterii, quod iuxta morem aliorum caenobiorum sub nostra defensione ac tuitione susceptum ipsi diebus uitiae suae habere liceret, et quamdui quaelibet ex ipsis prosapia in eodem monasterio aptae ad hoc inuenirentur personae, ipsae in eius regimen sibi succedere permitterentur. Cuius petitioni assensum prebentes, omnem ipsis hereditatem in nostrum ius nostraue protectionis munimen suscipimus, et ut maiorem habeat quietem et securitatem ad construendum ibidem monasterium, plenissimam ipsis et hominibus ad se pertinentibus immunitatem concedimus, per quam decernimus atque iubemus, ut nullus iudex publicus uel quilibet ex iudicaria potestate, homines ipsis quibuslibet publicis exactionibus distribuire presumat, sed liceat eis coram aduocatis ex nostra iussione constitutis iustitiam facere, et omnino iusta concessionem qua praedecessores nostri monasteriis in suam defensionem suspectis immunitatem dare

\*) Diese Stelle scheint verborben zu sein.

consueuerant, sic memoratae sanctimoniali feminae cum omnibus ad se pertinentibus pleniter firmiterque concedimus. Et ut haec nostra auctoritas concessio firmior habeatur, et per futura tempora melius crederatur, manu propria subter eam firmabimus et anuli nostri impressione assignari iussimus.

*Signum domni Arnolfi (L. M.) piissimi regis.*

*Aspertus Cancellarius ad uicem Deotmari Archicappellani recognoui et (L. S. R.)*

Data XVII. Kal. Sept. anno incarnationis Domini DCCCXXXVIII Indictione VII. anno II. regni Arnolfi piissimi regis, actum noua Corpeia in Dei nomine AmeN.

Das aufgedruckte, einen Theil des Recognitionszeichens bedeckende Siegel kommt mit dem bei Nr. XXXV. beschriebenen überein.

### XXXVIII.

C. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Arnulfus diuina fauente gratia rex. Notum sit omnibus sanctae Dei aecclesiae fidelibus nostrisque, praesentibus scilicet et futuris, qualiter Bobo uen. || abba nostram precatus est celsitudinem, quatinus nos quasdam res proprietatis nostrae, quas quidam nobilis vir Hohuart nominatus prius in beneficium habuit, pro remedio animae nostrae parentumque nostrorum, ad monasterium noua Corphea nuncupatum, cui idem Bobo et fratribus ibidem Domino famulantibus praeesse dinoescitur, in proprium concederemus. Cuius petitioni pro aeternae felicitatis amore annuimus libenter, Dedimusque ad idem monasterium quidquid praefatus vir Houardus in pago Huueitago in comitatibus Ec-perti et Reithardi et Herimanni et in locis Piringisamarca, Schidara, Adekenhusun et Muchohusun nostri beneficii tenuit, cum consensu eius, in perpetuam proprietatem, cum omnibus rebus illuc iuste respicien-tibus, curtilibus, aedificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, siluis, aquis aquarumque decursibus, uiis et ipuis, exitibus ac redditibus, quaesitis et inquirendis, mobilibus et immobilibus, omnibusque appendiciis et adiacentibus finibus illuc legaliter pertinentibus. Haec uero omnia, hoc sunt hobs XXV. de nostro iure in ius et dominicationem praelibati monasterii in honore sancti Stephani protomartyris Christi dicati tradidimus atque contulimus, Et iussimus inde hos praesentes regalitatis nostrae apices titu-lari, per quos decernimus atque iubemus ut idem Bobo egregius abba suique successores ab hodierna die ac deinceps potestatem habeant integerrimam, easdem res ita ordinare atque disponere, prout usui fratrum inibi Domino militantium necesse esse conspexerint. Et ut hoc firmum et stabile perpetualiter consistat, idem praeceptum propria manu firmauimus anuloque nostro sigillari iussimus.

*Signum domni Arnolfi (L. M.) inuictissimi regis.*

*Aspertus cancellarius ad uicem Deotmari archicappellani recognoui et (L. S. R.)*

Data XIII. Kal. Septemp. anno incarnationis Domini DCCCLXXXVIII. Indictione VII. anno II. regni Arnolfi piissimi regis. Actum ad curtem quae uocatur Portanaha. In Dei nomine feliciter amen.

Das Siegel ist verloren gegangen.

### XXXIX.

Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Osnabrück\*).

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Arnulfus diuina fauente clementia<sup>1)</sup> serenissimus rex. Si liberalitatis nostrae more<sup>2)</sup> loca Deo<sup>3)</sup> dicata nostro releuamus iuuamine atque tuemur, id nobis ad tem-

\* ) Der Abdruck nach Henseler, in Möser's sämmtl. Werken, herausg. v. Abeken, 8. Th. S. 14., zeigt die unten angegebenen Varianten.

<sup>1)</sup> gratia. <sup>2)</sup> munere. <sup>3)</sup> domino.

poralem uitam feliciter deducendam et aeternae premia capessenda profuturum esse liquido credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum presentium scilicet et futurorum cognoscat industria, qualiter uir uenerabilis episcopus atque fidelis noster nomine Egilmarus Osnebruggensis aecclesiae presul nostram adiit serenitatem postulans ut eidem aecclesiasticae<sup>4)</sup> nostraequae libertatis et immunitatis preceptum fieri decreuissimus, per quod res et potestates quae suo episcopio iure debentur firmius ac<sup>5)</sup> plenius per nostram auctoritatem habere ualuisset. Cuius peticionem, ob amorem domini nostri Jesu Christi assensum libenti animo prebentes, ita fieri decreuimus. Precipientes ergo iubemus ut sicut reliquae<sup>6)</sup> Dei aecclesiae quae per totam Franciam et Saxoniam emunitatis tuicione ab antecessoribus nostris regibus uidelicet et imperatoribus consistunt, ita prefati presulis sancta sedes perpetuo per hoc nostrum preceptum domino opitulante consistat, ita ut nullus iudex publicus neque alia iudicaria potestas aut comites uel missi dominici per tempora disurrentes in locis illius episcopatus placita habenda uel freta exigenda uel parafreda aut paratas facientes uel fideiuersores tollendos aut seruos et liddones et eos qui censem persoluere debent, nec pontem restaurare. Et ut liceret in eodem loco Osnabuggensi<sup>7)</sup> mercatum habere et monetam publicam<sup>8)</sup> instituere et teoloneum<sup>9)</sup> inde accipere omni tempore nemine<sup>10)</sup> contradicente, sed liceat prefato uenerabili episcopo suisque successoribus et suo aduocato<sup>11)</sup> res predictae aecclesiae cum omnibus quae possidet uel<sup>12)</sup> deinceps adquisierit quieto ordine possidere suasque aecclesias iuste corrigere et earum<sup>13)</sup> causas absque ulla contrarietate ordinare atque<sup>14)</sup> disponere. Insuper etiam ad nostra celsitudinis auctoritatem idem<sup>15)</sup> prefatus episcopus se reclamauit magnam sibi destitutionem habere de decimis quae ad Osnabuggensem aecclesiam in honore sancti Petri principis apostolorum consecratam seruire debuissent. Maxime scilicet et quantitate et numero partes ad eandem sedem ex debito pertinentes inter monachos Huxorienses<sup>16)</sup> et inter puellas Herifurdenses<sup>17)</sup> nostrorum antecessorum conspiramine diuisas esse, ob hocque maxime<sup>18)</sup> nullum iter exercitale extra eiusdem episcopatus confinia posse perficere, ideoque pro hac causa eius reclamationi consensum dedimus, ita ut nisi Dani ad delendam christianitatem sui episcopii naues ascenderent, nullum se suosque ad aliud exercitale iter debite consensuros. Nec aliquod de regali seruicio secum haberi, sed eius solummodo pastoralitati christianitatis animaduersio ualida<sup>19)</sup> persistat, ac etiam nos nostrosque predecessores diuinae pietati eius cotidiana commendet intercessio, sicque firma ratione stabilitum est, ut cuncti eius successores haec eadem nobis sancita pari modo sortiti fuerint, et ut hoc uerius credatur et per futura tempora a cunctis fidelibus nostris diligentius conseruetur, manu propria nostra subter eam confirmauimus et sigillo nostro assignari iussimus.

*Signum domini Arnolfi (L. M.) piissimi regis.*

*Aspertus cancellarius ad uicem Theotmari archicapellani recognoui et S.*

Data III. Id. Octobr. die anno incarnationis Domini DCCCLXXXVIII. Indict. VII. anno regni Arnolfi regis II. Actum Franconofurt curte regia in Dei nomine feliciter Amen.

## XL.

E Strunckii not. crit. msct. \*)

In nomine JESU Christi Domini nostri. Ego Vuolhelmutus indignus Episcopus, omnibus desidero manifestari Episcopis et Abbatibus et cunctis sanctae Dei ecclesiae fidelibus hoc quod ad prouisionem salutis

<sup>4)</sup> ecclesiae. <sup>5)</sup> et. <sup>6)</sup> eingesch. sanctae. <sup>7)</sup> Osnepr. <sup>8)</sup> monetum publicum. <sup>9)</sup> toloneum. <sup>10)</sup> nemini. <sup>11)</sup> vocato. <sup>12)</sup> et <sup>13)</sup> eorum. <sup>14)</sup> et. <sup>15)</sup> isdem. <sup>16)</sup> huxilienses. <sup>17)</sup> herivordenses. <sup>18)</sup> eingesch. se. <sup>19)</sup> valide.

\*) Die Urkunde erscheint hier, wahrscheinlich aus dem Originale, an verschiedenen Stellen richtiger als bei Kindlinger, obwohl Strunck den Text an einigen Orten, wo er ihm zu weitläufig schien, abgekürzt hat. Die Orthographie ist so wiederhergestellt, wie sie sich in gleichzeitigen Urkunden findet.

animae nostrae perficere cogitau et cogitatum Deo donante peregi. Cogitabam enim hereditatem paternam diuino famulatui dedicare, ut hoc facto animae meae et parentum germanorumque meorum redemptionem prouiderem. Inter haec, prius quam certius deliberare possem qualiter id fieret, contigit me graui infirmitate aegrotare. Tunc ergo consilio habito cum fratribus meis Aldrico et Vuald et pluribus fidelibus nostris, tradidi ipsam ecclesiam in loco qui dicitur Ulfloa et ipsam curtem cum aedificiis et terris et omnibus ad eam curtem pertinentibus ad reliquias sancti Pauli ad Mimigerneford, hac duntaxat ratione, ut si illa infirmitate prius quam aliter inde decernerem aut statuerem finis mihi eueniret uitae, tunc haec traditio ad ecclesiam Mimigernefordensem pertineret, si uero Deus donare mihi dignaretur spacium longioris uitae et tempus aliud eligendi, haberem potestatem illam hereditatem tradendi sive canonicis seu monachis seu sanctimonialibus uel aliis quibuscumque uellem, pro tuitione autem et patrocinio census unius solidi annis singulis ad ecclesiam Mimigernefordensem solueretur; nisi forte placeret illius fratribus, ut hic annuus census redimeretur alia qualibet re quam eligerent. Haec taliter dicta et gesta constant coram frequentia populi in ecclesia sancti Viti in die solemnitatis sanctorum Sebastiani et Fabiani, presentibus istis comitibus, Cobbone, Thiadingo, Hroduuerco, Vuarino.

Post haec dum diuina miseratione ab hac infirmitate conualerem, prospexi quod pauperioribus locis iustius subueniri possit, et tanto sit Deo gratior elemosina, quanto in quibus operatur maiore arctantur paupertate. Consiliumque reperi cum germanis meis et aliis fidelibus, ut ad monasterium sancti Liudgeri ipsam supradictam hereditatem donarem et eius ualerem intercessionem pro meis et parentum meorum et germanorum reatibus obtainere, et societatem fraternitatis et recordationis in eodem monasterio promoveri. Tractabam quoque istud cum clero ecclesiae nostrae, cum maioribus et mediocribus atque minoribus, et cunctis super hoc consentientibus et comprobantibus et hortantibus, Regem gloriosissimum Arnulfum pro hac causa adii, eunte mecum eiusdem monasterii abbate Hembile, et aperui clementiae eius causam, quam cum eius permisso et auctoritate perficere desiderabam. Quod cum ille pro sua clementia suscipere dignaretur, iussit hoc in sua presentia perfici coram uenerabilibus archiepiscopis Sunderoldo et Vuilliberto, abbatte quoque uenerando Sihardo et multis aliis episcopis et abbatibus, comitibus et primatibus regni, tradidique ipse supradictum predium, per manum aduocati mei Vuarini, presente rege, in regio palatio Franconoford, II. Non. Julii, sancto Liudgero ad reliquias Sancti Salvatoris in quarum honore ipsum monasterium constructum est, quam donationem suscepit comes Heremannus ad manus abbatis Hembil, uidelicet Ulfloa cum aedificiis et sepibus, cum terris et siluis, cum aquis et pascuis, et quidquid ad ipsum mansum pertinet qui dicitur Selihoua, in culta terra seu nondum culta, quodcumque in ea litis traditum est uel deinceps colendum et possidendum, insuper homines XXX. cum familia suis et terris quas tunc possidebant, quorum loca et nomina subtus habentur scripta.

Pro hac ergo donatione preceptum regiae auctoritatis expetii et firmationem signaculi eius. Deinde rediens a comitatu ego Vuolhelmus episcopus, et abbas monasterii sancti Liudgeri, ueni ad locum eiusdem Sancti. Ibi ergo III. Id. Julii, die dominica, coram omni populo et congregatione monachorum, ego Vuolhelmus et frater meus Aldric eandem traditionem denuo perfecimus ad corpus sancti Liudgeri, astantibus his testibus. Vulheri. Helmdago. Folckero. Siuardo. Post haec in Mimigerneford in conuentu sacrae synodi, quam congregari feci Non. Octobris, presbyteri et diaconi et cleris omnis Mimigernefordensis ecclesiae, coram uniuerso plebe et coram comitibus qui aderant, Herimanno, Folcberto, Hroduuerco, Thiadingo, per ordinem interrogati a maximo usque ad minimum publice fatebantur, omnia quae in supradicta traditione gerebantur secundum suum consensum et uoluntatem rationabiliter gesta esse, ne cui patere possit ullus insidiarum locus et occasio hanc traditionem infringendi. Concesserunt etiam unanimo fauore, ut solidus qui ad sanctum Paulum pro supradicta precaria solui debuerat, uno manso et familia semel redimeatur. Atque hic mansus et familia ex parte nostra datus est in villa nuncupata Gibonbeki per manus aduocati nostri Bernhardi ad memoriam sancti Pauli, et susceptus ab aduocato familie sancti Pauli Ratech, qui in presentia totius concilii precariam aduocato nostro retradidit, ne deinceps ex illorum parte exigi-

debeat. Porro presbyteri qui presentes erant, fuerunt hii. Hardrat prepositus. Liudolf. Salomon. Engelbrath. Gislolt. \*) etc. Horum omnium idem consensus et uoluntas fuit ut haec agerentur, et anathematizauerant a parte Dei et Sanctorum eius aeterna separatione, si quis unquam hanc traditionem irritam facere conatus fuerit, uel auferre et demere aliqua ex his quae tradita sunt, nisi emendauerit se et correxerit. Laici quoque qui aderant Nobiles fuerunt Comites supradicti, et Meginhard. Hardrad. Sebrath. Thiadmar. \*\*) etc.

Tunc uero uenimus, ego Vuolhelmus episcopus et abbas Hembil monasterii Vuerthinensis, cum reliquias sancti martyris Apollinaris sanctique Liudgeri, quas memoratus abbas aduexit, uenimus autem II. Id Octobris cum conuentu multo populorum et cum comitibus ad Ulfloam, et coram uniuersa multitudine hanc traditionem perfeci tercio, ego Vuolhelmus episcopus et mecum fratres mei Aldric et Vuald, ut saepedictus locus Ulfloa sub dominio sancti Liudgeri ad usum monachorum in Werthina deseruiret cum XXX. familiis et eorum territoriis et cum omni integritate illius Selihoue quae ad ipsam curtem pertinet \*\*\*) . . . In hac ratione suscepit introductis reliquias hanc traditionem Hembil abbas per manum meam et Herimanni comitis atque possedit. Si aliquis unquam hanc traditionem infringere et reuellere uoluerit, hic et publicae exactiois damnum sustineat et, nisi se correxerit, ante tribunal Christi Jesu domini nostri in die iudicii hoc reatu ligatus appareat. Actum anno dominicae incarnationis DCCCLXXXVIII. anno uero gloriosissimi Arnolfi regis II. Indictione VII.

Haec loca et nomina familiarum. In Ulfloa. Vuendo et Baltger. In Langonezca. Fastuard. In Ricolfesheim. Vdo et Vuanger. In Dulmeni. Marhard et Gebbo. In Bunhlaron. Hroduuard. In Forkenbeki. Milo. In Ternezca \*\*\*\*) . . . In Punpon. Hasla et Abbuco. In Nethubila. Meginger. In Solison. Vualdger. Focco. Athalheri. Othelm et Bernold. In Anrapun. Hunuuard. In Westahem. Erdag. In Nihem. Buodo. In Stunni. Vuendi. In Hramers-thorpe. Embo. Landric et Thiedo. In Helmun. Ostuuord. Liudhard. Osico et Hoio. In Recnon. Liadgrim et Vuido.

## XLI.

Querimonia Egilmari Episc. Osnabrug. ad Stephanum Papam. — Accedit huius responsio.

E mscpt. Henseleri.

Domino sanctissimo et egregiae sanctitatis apice praestantissimo, Papae Stephano, exiguis servorum Christi servus, Egilmarus Osnaburgensis episcopus, cum omni subjectae congregationis caterva, verae felicitatis implorat coronam. Dum orthodoxam Christi ecclesiam apostolica institutione fundatam et a sanctis patribus firmissime roboratam, rabie persequentium et fraude iniquorum dolemus dilaniatam, ac per hoc potius tepidam minusque in divino cultu fervidam geminus, Vestrae pietatis jura, quae penes Deum sunt manifesta, deposcimus, ut nos, quibus ovium cura dominicarum commissa est, fulcire at adjuvare dignemini, quo eas ab errore devio ad viam veritatis et ad lumen de tenebris reducere queamus, quod tunc recte fit, si pravitas in rectitudinem convertatur, quae ideo diu apud nos per varias negligentias pullulat, quia per multos retro annos sancta Synodus minime congregata hanc non resecat. Unde audire dignetur sanctissima industria vestra rationis sententiam, de cuius controversia quatitur pusillanimitas nostra. Primi-

\*) In Kindlingers Abdrucke folgen hier noch 48, zum Theil wahrscheinlich falsch geschriebene Namen, die Strunk, der Kürze wegen, weggelassen hat.

\*\*) In Kindlingers Abdrucke folgen hier noch 18 Namen.

\*\*\*) Bei Kindlinger findet sich hier noch die von Strunk, wahrscheinlich der Kürze wegen, weggelassene Stelle: et quod iam in ea possessum est, cum omni inuestitura mobilium rerum et immobilium, ut nihil inde aliquis demat uel auferat, sed ex toto redeat ad sanctum Liudgerum, quondcumque et qualemcumque fuerit, dum ego ex hac uita emigravero.

\*\*\*\*) Kindlinger schiebt hier den wahrscheinlich unrichtigen Namen: Salutet, ein.

tus de decimis, quibus subditorum catervam pascere debemus, contra Jus canonicum et fas ecclesiasticum injusto ordine a nobis per vim ablatis, pro qua vero re sint ablatae, et unde processerit origo, ut decimorum, quibus tantummodo episcopatus in Saxonia sunt constituti, non nisi quarta pars ad Osnabrugensem ecclesiam in honore S. Petri principis apostolorum consecratam inserviat, cuius etiam nos servitores sumus, cum caeterae partes majores ex quantitate et numero ad eandem sedem ex debito pertinentes, inter monachos Huxilienses, ubi noua Corbeja ab eis vocatur, et puellas Herivordenses diuisae sint, praeter praedia nonnulla, quae eis ex ipso episcopatu pertinentia subjecta sunt, et ecclesias baptismales N. quae prius episcopatui annexae, subjugatae erant, quae jam non requirimus, sed saltem decimas tantum debite pertinentes ad nos redi, quae ablatae sunt, flagitamus. Haec veridica ratio est.

Cum dudum inquam magnus et admirabilis princeps Karolus, qui gentem Saxoniam per strenua bellorum certamina, Deo adminiculante, ad fidem christianitatis converterit, synodalis atque canonici Juris consultis singulos ejusdem Provinciae episcopatus ex decimarum stipendiis constituisset, quia aliis ibi pastores et episcopi donariis carebant, unde paulatim roborari Christianitas potuisset, Et post ejus excessum filius ejus bonae memoriae Hludovicus diu sanctae ecclesiae propagator viguisse, accidit ut tres filii ejus, maligno usi consilio, eum in custodiam mitterent, cui consilio una conspiratione consensum et adjutorium praedictae sedis nostrae in honore Sancti Petri apostoli dedicatae episcopus nomine Goswinus praebuit, ita ut mucronem ab eo violenter ipse discingeret. Cum autem rursus ex eadem custodia, Deo volente, per adjutorium filii ejus omonimi Hludovici cum honore ad regnum remeasset, praedictus episcopus sua perfidia et infidelitatis conscius, ad coenobium Vuldense confugiens, monasticum habitum assumpsit, et semel in anno latenter ipsius episcopatus locum invisere solebat. Sicque episcopalnis cura sine praesule et rectore ea tempestate remanebat. Interim a multis invaditur, rapitur, dispergitur et dissipatur, donec post mitissimi praefati Hludovici principis excessum, cum valida et periculosa regni disceptatio inter tres filios imminaret, et uni ex hiis, scilicet ejus aequivoco, hujus divisio in sortem cederet, quidam ejus fidelis comes ditissimus, Cobbo nuncupatus, de praedicto episcopatu quidquid voluit agere adeptus, germano ejus nomine Werin in monasterio Huxiliensi tunc temporis abbate, et sorore ejus in puellarum coenobio Herivordensi abbatissa degentibus, quantum voluit de decimis quae ad eundem episcopatum pertinebant tradi fecit ad eadem monasteria, in alterius parochia alteriusque diocesi constituta, praeter synodum et conscientiam episcoporum. Cum interim Gozbertus episcopus de gente Sueonum (quo ordinatus erat) cum persecutione ejectus esset, necessitate compulsus praedictum Cobbonem adiit, quo impetrante et rege concedente, suscepit gratulabunde eundem episcopatum, decimis, unde solummodo constitutus est, maxima ex parte vacuatum, eoque favente et timente, ne forte ei, ad quod ordinatus non erat, auferretur, suo tempore sine aliqua contradictione ita permansit. Egilbertus vero praedecessor et coëpiscopus noster, crebro pro ipso negocio Guntharium et Willibertum archiepiscopos interpellavit, et variis occupationibus, quibus sancta synodus per longa transacta tempora non est congregata, obstantibus, causa finetenus non est determinata. At vero cum mihi indigno ejusdem episcopatus cura fuisse injuncta, et inter varias negligencias, quas perlongum est enucleare, plures ecclesias inconscretas, aliquantas etiam homicidiis perpetratis infectas, variisque spurcitiis et flagitiis minime purgatas reperisse, in quibus praedictorum monasteriorum subjugati de plaga occidentali advenientes presbyteri ignoti, de quorum consecratione ambigimus, officia celebrant, ne ibi divina mysteria ab ipsis celebrarentur inhibendo interdixi, donec Vos, venerabiles patres et magistros super hac re consulerem. Quam ob causam illico praedicti monachi et puellae ad aures principis Arnulfi accusationem contra canonica sancta detulerunt, deferentes preeceptum, ut ajunt, a Hludovico rege et Rabano Magontiacense alterius pontifice diocesis, statutum, sed non certis testificationibus fidei accommodatum, quia fraudulenter dicitur ab ipsis fictum, ut ipsi sine nostra dictione vel aliqua contradictione possideant decimas praedicti episcopii, contra Jus canonicum, et quod primum in fundamento ejusdem ecclesiae a praefato magno Karolo, coëpiscopis et canonico decreto erat statutum, ut maneret ratum, hoc miro et detestabili modo, qualiter a Magontiacense alterius diocesis praesule fore

queat irritum, ignoramus. Unde an hoc, quod contrarium canonicae auctoritati videtur, an illud quod regulariter ex decimis prius statutum est, restaurando roboretur, Vos judicate, domine pater beatissime. Interea supradicti accusatores, qui me, non tamen in praesentia, de infidelitate regis accusaverunt, asserentes me hoc velle destruere, quod priores Augusti vel reges sanxerunt, ad rationem me venire compulerunt, dum coram Arnulfo principe et episcopis novem, quorum haec sunt nomina, Williberto Agrippinae Coloniae archiepiscopo, Arn Wirciburgense, Odilbaldo Trectense, Drogone Mindense, Godethanc Spirense, Wicberto Hildensummense, Wiberto Ferdense, Evulfo Holmorsteddense, Bisone Patharburnense, causam hujuscemodi negotii in medio proferrem, obnixis precibus in amore summi pastoris et pontificis Jesu Christi, cuius vicarii esse creduntur, et S. Petri apostoli omniumque Sanctorum honore postulavi, ut secundum conscriptum, quod coram eis legi feci, et quod penes nos habemus, et justa judicia et canonica scita, recte de hoc negocio respondendo decernerent. At illi scientes voluntatem Principis et quorundam Comitum, et ne eum offenderent renitentes, nil de causa prolata respondere praesumpserunt, sed penitus cum responsione canonica in amore Dei petita justicia mihi denegata est. Sicque adulando Principi, jussus sum ab eo, si ejus gratiam vellem habere propiciam, ejusque potestati non contrairem, ut haec in decimis et reliquis hujuscemodi negotiis querulosis omnia permitterem fore sicut inveni, meaque compulsa interpellatio cassata est. Sed ne hoc impetrare quivi, ut accusatores in praesentia exhiberentur et causa recte examinaretur. Et patres benignissimi, nisi super hujus controversiae querimonia dexteram justiciae porrigatis, nec episcopale ministerium ad Christianitatis observantiam quimus exercere, nec claustra monasterii, quae nec aliqua inveni propter penuriam et decimarum abstractionem, emendare, quae nuperime coepimus construere, neque clerum ad Dei servicium pascere valebimus et vestire, sed cogendum variis aerumnis dispergi dolebimus non posse rursus congregari. Ecce, patres egregii, tot annis transactis tempore praedecessorum meorum praefatae ecclesiae inconsecratae hactenus permanent, et contra voluntatem nostram, quia prohibetur in Canonibus jubente lege divina, missarum officia inibi celebrantur ab hiis de quorum ordinatione dubitatur. Decimae a nobis tolluntur, parvitas nostra non mediocriter in omnibus quae digna sunt emendatione contemnitur, quia ibi unum foraminis aditum inimicus invenerit intrandi offendens ad caulas ovium hostes exhibebit. Unde vos summae sedis apostolicae auctorem, ceu totius Christianitatis caput invocamus, et qui coram altaribus in pavimento prostrati patrocinia Sanctorum imploramus, ut salutis et sanctitatis vestrae prosperitas protegetur et in aeternum gloria et cornu vestrum dilatetur, pedibus pietatis vestrae mente provoluti, petimus ut super hac re quid nobis faciendum sit censeatis, aut utrum sub taciturnitatis nodo calcare et silentio haec propter scandala vitanda premere debeamus, vel spem recuperandi ex decimis habeamus, sequendumve nobis sit, ut de hac censura nobis justiam fieri reclamemus, in proposito nobis enucleare certumque facere dignetur beatissima paternitas vestra, quam conservare dignetur ineffabilis pietas sempiterna

#### Responsio Stephani.

Stephanus sanctae apostolicae et universalis Romanae Ecclesiae Episcopus, Egilmaro venerabili Osnaburgensis Ecclesiae Episcopo in Domino salutem. Bonorum operum et spiritualium studiorum Deum auctorem esse non dubium est. Unde laetari me fecerunt scripturae tuae ex bono studio et ex integritate fidei et devotionis tuae, sed ex afflictione tua magna ex parte tristari, super quo tu conquestus es et crebrior ad nos sermo commenantum perlatus est. Non oportuit quidem ab illis quibus sustentari et portari atque honorari debuisti, tot ac tantas, innocens ut credimus, oppressiones perpeti. Mandasti enim nobis Sanctitatem tuam a Godescalco novae Corbeiae abbe et Hervordense abbatissa ipsorumque fautoribus variis calamitatibus vexari et dilaniari, et apud filium nostrum Arnulfum crebris accusationibus plus aequo infamari, Ecclesiam tuam suis dotibus et fidelium oblationibus expoliari. Inde, frater, noli mirari, si te membrum malivoli et impii persecuntur, cum ipsum Christum caput nostrum sint persecuti, sicut ipsa veritas ait: Si patrem familias Beelzebuc vocaverunt, quanto magis domesticos ejus. Noli multum vexari, noli

turbari, sed confortare in Domino et in potentia virtutis ejus. Nos vero ad supplementum fratres e coëpiscopos nostros amplius quam quinquaginta vocavimus, cum quibus regulariter tractando decrevimus quae et qualia tibi et tecum litigantibus responsa remittamus, quia una eademque die illorum literas super hiisdem negotiis simul cum tuis suscepimus. Hiis enim epistolis in omnium audience praelectis, multas ut nosti querimonias et oppressiones super illorum temeritate tua continebat in se, sed et illorum non minor erat lamentatio de te. Quapropter necessarium esse duximus, ut remotis tergiversationibus, veritatis elucubratione adminiculum tibi a nobis impendatur atque ab apostolica sede suffragetur, ne in totius Ecclesiae perturbationem haec impudens procedat intentio, et ea quae a sanctis praedecessoribus nostris dudum prohibita fuerant, denuo reviviscant. Abbi vero literas suis respondentes remisimus in haec verba. . . .

## XLII.

Nach einer von dem Hessischen Bibliothekar Raspe, zu Paderborn am 29. November 1773 gefertigten und beglaubigten Abschrift.

quod situm est in loco . . . Hersi  
 et per te in eodem Ven. Monast. in perpetuum. Quanto nos pro piorum et venerabilium locorum statu augmentando sollicitiores existimus, et ad eorum utilitates proficiendas perpetuo pastoralibus vigiliis insistimus, tanta nobis aeternæ remunerationis praemia eo largiente conquerimus, qui dixit, beatus seruus ille, quem cum uenerit dominus inuenierit uigilantem. Et ideo omnibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus atque nostris notum fieri uolumus, suggestisse nostro Apostolatui Bisonem reuerendissimum Padrabunnensem Episcopum, quatenus praedictum ven. Monasterium, cui ipsa praeesse dinoscere, situm in territorio dioeceseos suae, cum omnibus suis iustis pertinentiis et adiacentiis, huius auctoritatis nostraræ Pribilegio muniremus. Cuius postulationi fauere nitentes, præcipue cum omnium sit Ecclesiarum cura nobis commissa, hoc apostolicum nostrum pribilegium fieri decrebimus, per quod et id ipsum uenerandum monasterium roboramus, et apostolica auctoritate inibi ad sustentationem ancillarum Dei confirmamus omnes res, quae a iure praedicti Episcopi cum eodem sunt monasterio commutatae legaliter, uel quae a fidelibus et Deum timentibus sunt ibi collatae ad usum et utilitatem earundem Sanctimonialium, nec non et Decimas eidem præfato monasterio annualiter persolui censemus, quae de statutis uillis eidem dari persoluique debent episcopali simul et synodali decreto. Immo et consultu ut intuiti sumus statutum est et canonice ordinatum, quod si ita res se habet, infringi non debet, ne synodal is et canonicus uigor in præfata sancta Padrabunnensi ecclesia, sicut statutum esse comperimus, cui de eodem uen. mon. curam esse reperimus statuentes apostolica censura decernimus, ut nulli fidelium fas sit quoquo modo contra huius priuilegii nostraræ confirmationis seriem pie et misericorditer a nobis promulgatam agere aut temerario ausu de omnibus quae eidem mon. suaque congregati oni legaliter tradita sunt uel concessa sibique a modo et deinceps tradenda uel legitimo iure conferenda aliiquid minuere uel auferre, sibi etiam deripere, potius autem ad utilitatem Domino illic famulantum firma potestate consistant, earum bono quae nunc habentur uel sunt iuste conquirenda . . . Nam qui timore Dei postposito huic confirmationis nostraræ priuilegio in toto uel in parte contraire repertus, illudque non integriter obseruare distulerit sancta cito admonitus resipuerit, apostolico mucrone feriendus . . . qui autem custos fuerit et obseruator, a iusto iudice Domino Deo nostro misericordiam consequatur. Scriptum per manum Gregorii Scrinarii sanctae Romanae ecclesiae in mense Maio Ind. nona.

† Bene  
 ualete †

## XLIII.

E Copia recentiori in Kindlinger MSS. T. XII.

Stephanus Episcopus seruus seruorum Dei. Hembil religioso abbatii venerabilis monasterii S. Liudgeri et per te eidem venerabili monasterio in perpetuum. Quoties ea a nobis concedi postulantur, quae piis et venerabilibus locis congruunt, decet nos libenter concedere et votis religiosorum apostolica sanctione fauere. Et ideo religiositas tua nostro suggessit apostolatui, quatenus idem predictum venerabile monasterium cum omnibus canonice et legaliter sibi pertinentibus et adjacentibus apostolica auctoritate muniremus, quemadmodum a piis Imperatoribus, Luthouico scilicet et Carolo atque Arnulfo religiosis quondam Augustis per augustalia eorum precepta munitum roboratumque esse dinoscitur. Huius rei gratia tuam suggestionem congruam fore preuidentes, ratum duximus aures nostras tuis accommodare precibus, qui uniuersalem normae curam diuina suffragante gratia suscepisse dinoscimur. Quapropter id ipsum sacrum monasterium huius presentis priuilegii nostri sanctione ut prelibauimus munientes, decernimus a presenti nona Indictione ut nulli potestati nec cuilibet magnae paruaeque personae quacumque dignitate preditae fas sit quoquo modo illud inuadere vel alii commodare, nec quicquam de famulis vel mansis nec non seruis et ancillis, litis et liberis, siue quicquam de rebus mobilibus vel immobilibus deque cultis et in cultis memorati monasterii sibi vindicare aut alteri donare presumat, sed cum omnibus rebus et possessionibus ac oblationibus et redditibus, quae canonice et legitime inibi data, largita sunt et donata ac deinceps donabuntur, iuri ac utilitati crebro dicti monasterii et usibus Deo inibi famulantium perenniter confirmamus sub tua dictione degere ad regendum ac regulariter dispensandum. Imo censemus nulli fidelium licitum fore quolibet super eiusdem monasterii homines dicionem habere aut ad aliquas exactiones contra rationem compellere vel distingere, sed sicuti a prefatis Imperatoribus Deumque timentibus concessa existunt atque firmata, ita nos cum ipsis preceptis augustalibus omnia ut ea continere videntur adscripta inuiolabiliter ab omnibus sanctae Dei ecclesiae fidelibus apostolica auctoritate firmata obseruanda precipimus, statuentes decernendo ut qui temerario ausu, quod non optamus, contra hoc nostrum apostolicum priuilegium ire vel agere presumperit, et in toto vel ex parte, quod nequaquam fieri mandamus, infringere temptauerit hoc quod ad laudem Dei omnipotentis et stabilitatem eiusdem monasterii ac monachorum sustentationem ad nostrae mercedis augmentum diuino tacti amore statuimus, nouerit se excommunicandum et nisi obediens fuerit anathemate ferendum, qui vero custos fuerit ac obseruator benedictionem ac gratiam consequatur. Scriptum per manum Gregorii scrinarii sanctae Romanae ecclesiae, in mense Maio, Indictione nona.

† Bene valete. †

Data III. Kal. Julii per manum Stephani secundicerii sanctae sedis apostolicae, anno Deo propicio pontificatus domni Stephani summi pontificis et uniuersalis papae in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto, Indictione VIII. AMEN.

## XLIV.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Arnulfus diuina fauente clementia rex. Si seruorum uel ancillarum Dei petitionibus, quas pro ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus nobis || suggesserint, clementer annuimus ac pie prospicimus, id nobis et ad praesentis uitae cursum salubriter transeundum, et ad perpetuae beatitudinis praemia feliciter promerenda liquido profuturum esse confidimus. Quam ob rem nouerit omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet atque futurorum industria, qualiter Uuicpreht et Biso venerabiles ac dilecti episcopi nostri praecati sunt, vna cum Chōnrado fideli comite nostro, clementiam nostram, quatinus sororibus sanctimonialium, in monasterio Heriford nominato sub honore sanctae Dei genitricis Mariae constructo atque dicato Domino famulantibus, electionem suam inter se intrinsecus ab

antecessoribus nostris eis prius per praecoptales cartas concessam, pro remedio animae pii genitoris nostri Karlomanni regis et deinde nostrae caeterorumque parentum nostrorum, simili modo concederemus, nostraque auctoritatis scripto eam corroboraremus. Quorum petitionibus et salubri consultui libenter assensum praebuimus, et praesens praecoptum inde conscribi iussimus, quicquid boni antecessores nostri eidem cenobio contulerunt, et omnia priuilegia ab ipsis illuc concessa, per hoc concedentes ac nostra auctoritate confirmantes. Et iuxta illorum monitionem hisdem sororibus securum per hoc praecoptum concedimus arbitrium et potestatem inter se abbatissas eligendi, quamdiu Deus aliquam inter illas talem prae signauerit, ab ipso docta quae famulas Dei inibi Domino militantes gubernare ac regere possit, nullusque successorum nostrorum hanc nostrae auctoritatis cartam potestatem habeat uiolare, ut ipsas ob hoc melius pro nobis et praelibato genitore nostro aliisque parentibus nostris exorare delectet. Et ut praesens auctoritas nostrae praecoptum nulla unquam mutabilitate uioletur seu uiolari conetur, manu propria illud firmauimus anuloque nostro assignari paecepimus.

*Signum domni Arnolfi (L. M.) serenissimi regis.*

*Signum domni Hludouuici (L. M.) serenissimi regis.*

*Arnustus notarius ad uicem Rotmari archicapellani recognoui et (L. S. R.)*

Data III. Nonarum Nouembrium die, Anno Incarnationis Domini DCCCXCII. Indictionum X.<sup>ma</sup> Anno regni Arnolfi regis V. Actum Franchonofurt in Dei Nomine feliciter AmeN.

Zwei aufgedruckte Siegel, ein grösseres über, ein kleineres unter der Datumsformel, sind beide verloren gegangen, und nur die Spuren davon noch vorhanden.

#### XLV.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. ARNOLFVS diuina prouidente clementia Imperator augustus. Episcopis, abbatibus, comitibus, uicariis, omnibusque in sublimitate positis et natu maioribus in Saxoniae partibus constitutis, In Christo saluatore pacem et utriusque uitae felicitatem cum salute perenni. Notum itaque generalitati vestre fieri uolumus, quia serenitatis nostre auribus innotuit, quod sint inter uos qui militiam coenobii quod uocatur noua Corbeia, id est vassallos eiusdem abbatis plus iusto in hostem ire compellant, cum hoc auctoritate diuorum antecessorum nostrorum ipsi loco suisque concessum atque indulatum clara luce dinoscatur. Quod et nos morem sequentes priorum, non minori deuotionis sollertia eidem sacrosancto loco et rectoribus eius cum omnibus regimini illorum subactis, Domino propitiante, fintenus confirmare studemus. Quapropter uniuersitati uestrae expresse mandamus et modis omnibus prorsus interdicimus, ne quisquam ex uobis ipsos milites quoquo modo iniqua districione seu in expeditionem aut ullam exactionem huiusmodi uiolenter reddere aut facere coartari prae sumat, sed liceat prae fati monasterii abbati secure cum omnibus curae illius subiugatis degere, et sicut ab antecessoribus nostris sibi suisque interius exteriusque concessum scriptoque roboratam constat, sine alicuius maioris minoris ordinis personae offendiculo frui perpetimque potiri in gloriam et laudem Dei.

Von dem aufgedruckten Siegel ist nur ein Bruchstück übrig, auf welchem das Brustbild des Kaisers noch zu sehen, und zwar von den früheren Siegeln verschieden.

#### XLVI.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Chuonradus diuina largiente clementia rex. Conuenit nostrae regali celsitudini ut petitiones fidelium nostrorum, has precipue quas pro ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus suggerunt, ad effectum perducamus, || quoniam hoc et ad presentem uitam prospere peragendam, et ad futuram beatitudinem promerendam profuturum liquido credimus. Unde nouerit omnium

fidelium nostrorum tam praesentis quam futuri temporis industria, quod uenientes ad monasterium sanctorum martyrum Stephani atque Viti noua Corbeia nuncupatum, rogante eiusdem coenobii venerabili abbatte Buobone vna cum fratribus sibi commissis, omnes concessiones quas priorum regum temporibus habuerunt, firmiter eidem loco concessimus. Praecipue vt potestatem habeant inter se cum necessitas uenerit abbatem eligendi. Et ut a nullo episcopo de dominicalibus mansis eiusdem monasterii decimae exigantur, neque a comite uel ex qualibet iudicaria potestate coloni eorum et liti ad iusticiam faciendam aliquo banno constringantur, sed coram aduocatis eiusdem loci iusticiam facere cogantur, sicut anteriorum Francorum regum temporibus praefato monasterio concessum fuisse cunctis fidelibus nostris liquido patet. Et ut haec auctoritas nostraræ largitionis firmiter habeatur atque per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur, nostra propria manu subter eam firmauimus, atque annulli (*sic*) nostri impressione signari iussimus.

*Signum (L. M.) domni Chuonradi serenissimi regis.*

*Salomon cancellarius ad uicem Piligrimi archicappellani recognoui et (L. S. R.)*

Data III. Non. Feb. anno ab incarnatione domini DCCCC.XIII. Regni autem domni Chuonradi serenissimi regis anno II. Actum in ipso monasterio Corbeia in Dei nomine feliciter. Amen.

Das aufgedruckte kleine kreisförmige Siegel zeigt das seitwärts sehende Brustbild des Königs, mit der königlichen Stirnbinde, einer Fahne und Schild, und mit der Umschrift: Chuonradus Rex; doch ist der grösste Theil des Randes nebst einem kleinen Theile des Bildes und der Schrift verloren gegangen.

## XLVII.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Conuenit nostraræ regali celsitudini. ut petitiones fidelium nostrorum, has praecipue quas pro aecclesiarum || sibi commissarum utilitatibus suggestur, ad effectum perducamus, quoniam hoc et ad praesentem uitam prospere per agendum, et ad futuram beatitudinem promerendam profuturum liquido credimus. Unde nouerit omnium fidelium nostrorum tam praesentis quam futuri temporis industria, quod rogatu coniugis nostraræ domnae reginae Mahthildis, vna cum prole et equiuoco nostro, nec non episcopi Adaluuarti, qui legatus fuit ad nos missus ab abbatte uenerabili Folcmaro fratribusque Christo in noua Corbeia militantibus, et sanctis martiribus nostris aduocatis et intercessoribus Stephano atque Vito fideliter seruentibus, omnes concessiones quas priorum regum temporibus habuerunt, firmiter eidem loco, id est praedicto abbati et fratribus concessimus. Praecipue ut potestatem habeant inter se cum necessitas uenerit abbatem eligendi. Et ut a nullo episcopo de dominicalibus mansis eiusdem monasterii decimae exigantur, neque a comite uel ex qualibet iudicaria potestate coloni eorum et liti ad iusticiam faciendam aliquo banno constringantur, sed coram aduocatis eiusdem loci iusticiam facere cogantur, sicut anteriorum Francorum regum temporibus praefato monasterio concessum fuisse cunctis fidelibus nostris liquido patet. Et ut haec auctoritas nostraræ largitionis firmiter habeatur atque per futura tempora a fidelibus nostris uerius credatur, et ne deinceps hinc aliqua dubietas fiat, nostra propria manu subter eam firmauimus, et anuli nostri impressione signari iussimus.

*Signum domni Heinrici (L. M.) serenissimi regis.*

*Simon notarius ad uicem Herigeri archicappellani recognoui et (L. S. R.)*

Data X. Kal. Maii anno incarnationis domini DCCCC.XX.II. Indictione X. Anno autem regni gloriose simi regis Heinrici III. Actum in villa quae dicitur Quitilingaburg in Dei nomine feliciter amen.

Das aufgedruckte Siegel wird bei der gleich folgenden Urkunde beschrieben.

Cod. dipl. hist. Westfal.

## XLVIII.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Omnia namque fidelium nostrorum petitionibus serenitatis nostrae aurem accommodare oportet, maxime tamen eorum, qui de sacris || mentionem faciunt coenobiis obtemperare decreuimus. Nam nostris crebrescentibus peccatis, multimas pagorum castigationes, quibus Christicolas affixerant, sentimus. Inter quas etiam Mahthildam dilectam coniugem nostram, una cum Bodarbrunnensis aeccliae episcopo uidelicet Unuuano, seu et ceteris fidelibus nostris, de sanctis Heriuurdens monasterii monialibus interpellantem cognouimus, quatenus illarum praecepta regia, quae ab ethnorum infestatione exusta sunt, renouari praecepemus. Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum industria, quia miseratione earum repleti, ob amorem Dei sanctorumque eius, petitionibus eorum assensum praebentes, prout ea ab antecessoribus nostris habere uidebantur, nostrae auctoritatis renouatione praenotare iussimus, ea scilicet ratione, ut quicquid inuestitura supradicti loci, siue de regum uel cuiuslibet personae traditione appareat, nullo iniustae contradictionis impedimento, aeternaliter ad eiusdem congregationis nutrimina perseveret, quatenus absque alicuius secularis uexationis conficto, sub nostrae tuitionis munimine, dignas ac Deo placitas persoluere studeant laudes, nostrasque nostrorumque antecessorum quam et successorum frequentent orationes. Quorundam autem locorum uocabula, quae quidam falsitatis fraude abstrahere conantur, huic conscripto subnectere praecepimus. Angeresgouue. Uunesualde. Oueranberh. Liuduinesdorp. et Hunbech secus fluum Sigena. Haec omnia cum reliquis cunctis possessionibus, tam in agris cultis et incultis, quam et in omnibus appenditiis ad praeformatum locum respicientibus, firma stabilique statione in iam dictae familiae potestate perenni tempore consistant. Et ut hoc nostrae confirmationis praeceptum firmum stableque permaneat, manu nostra subitus illud firmauimus, anulo nostro sigillari praecepimus.

*Signum domni Heinrici (L. M.) serenissimi regis.*

*Simon notarius ad uicem Herigeri archicappellani recognoui et (L. S. R.)*

Data XV. Kal. APR. Anno incarnationis Domini DCCCCXXVII. Indictionum XV.<sup>o</sup> Anno uero regni glorioissimi Heinrici regis VII.<sup>o</sup> Actum Astnid in Dei nomine feliciter Amen.

Das aufgedruckte kleine kreisförmige Siegel zeigt das rechts sehende Brustbild des Königs mit der königlichen Stirnbinde, eine Lanze in der rechten, einen Schild in der linken Hand haltend; mit der Umschrift: Heinricus Rex.

## XLIX.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Nouerint fideles nostri presentes scilicet et futuri, qualiter nos Heinrici aequiuoci ac dilecti filii nostri, et Hadeuui filiae nostrae rogatu, concessimus fratribus in loco || qui uocatur Paderbrunno Deo famulantibus, ut in eligendis episcopis inter se propria electione iuxta pristinum morem fruantur, si talem inter se moribus scientiaque probatum inuenierint, qui eidem officio aptus dignusque, quantum humana ad hoc competit fragilitas, dinoscatur, eorundem ergo petitione nostrae auctoritatis praeceptum eidem sancto loco fieri decreuimus, quatenus sub quali defensione antecessorum nostrorum fuit, Ita deinceps sub nostra tuitione et immunitatis defensione cum omnibus ad se iuste et legaliter pertinentibus permaneant. Praecipientes \* \* \*<sup>1)</sup> uerius

<sup>1)</sup> Die Charte hat durch Feuchtigkeit so gelitten, dass in der Mitte, durch die ganze Breite derselben, ein Stück herausgerissen und verloren gegangen ist, so dass einige Zeilen fehlen. Aus den wenigen Ueberresten derselben ist, in Vergleichung mit früheren Urkunden, z. B. Ludwigs des Frommen von 822 und Karls des Dicken von 887, zu schliessen, dass die ausgefallene Stelle die Befreiung von der Jurisdiction weltlicher Richter, und den Anfang der Beglaubigungsformel, beide jedoch im Ausdrucke von den Formeln jener Urkunden etwas abweichend, enthielt.

credatur et diligentius obseruetur, manu propria nostra subter notando firmauimus et anuli nostri impressione eas signari iussimus.

*Signum domni Heinrici (L. M.) invictissimi regis.*

*Poppo cancellarius ad uicem Hilteperti archicapellani recognoui et (L. S. R.)*

Data VII. Idus Maii. Anno dominicae incarnationis DCCCCXXXV. Indictione VIII. Anno autem Heinrici regis XVI. Actum in Arueite in Dei nomine feliciter amen.

Das aufgedruckte Siegel ist vorher beschrieben.

## L.

XP.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex: Si loca ad Dei seruitium mancipata in aliquibus || fulcimus beneficis, hoc profecto ad augmentum aeternae speramus esse remunerationis. Idecirco nouerint omnes fideles nostri praesentes scilicet et futuri, qualiter nos interuentu Mahtidae dilectae coniugis nostrae, sanctis monialibus feminis in loco Heriuurt nominato Deo famulantibus concessimus, ut in eligendis abbatissis propria electione fruantur. Proinde hoc nostrae auctoritatis praecipsum eis inde conscribi iussimus, per quod praecipimus, quatinus ita ut praediximus permaneat, et ut hoc verius credatur, manu nostra illud firmauimus et anulo nostro sigillari iussimus.

*Signum domni Heinrici (L. M.) invictissimi regis.*

*Poppo notarius ad uicem Hiltiberti recognoui et (L. S. R.)*

Data III. Idus Octobr. Anno dominicae incarnationis DCCCCXXXV. Indictione III. Anno regni Heinrici regis XVI. Actum in Altsteti amen.

Das Siegel ist verloren gegangen.

## LI.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina largiente clementia rex. Conuenit nostrae regali celsitudini, ut petitiones fidelium nostrorum, has precipue quas pro ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus || suggestunt\*) . . . credimus. Unde nouerit omnium fidelium nostrorum industria, quia adiens excellentiam culminis nostri Folcmarus uenerabilis abbas nouae Corbeiae, rogauit ut eidem monasterio talem concederemus libertatem, qualem ab antecessoribus nostris Francorum regibus accepisse dicitur. Cuius petitioni assensum prebentes, interuentu coniugis nostrae reginae Eadiht simulque filii nostri Liudolfi, in supradicto monasterio fratribus Deo seruientibus eiusque martyribus Stephano atque Vito, omnes concessiones quas anteriorum regum temporibus habuerunt concessimus. Praecipue ut potestatem habeant . . .\*\*) iussimus.

*Signum domni Ottonis (L. M.) serenissimi regis.*

*Adaldag notarius ad uicem Hildiberti archicapellani recognoui et (L. S. R.)*

Data XVI. Kal. Nouembri. Anno incarnationis domini DCCCCXXXVI. Indictione VIII. Anno autem serenissimi regis Ottonis I. Actum apud Uuerla in Dei nomine feliciter Amen.

Das aufgedruckte kreisförmige mit einem dicken Rande versehene Siegel zeigt das seitwärts sehende Brustbild des Königs mit der königlichen Stirnbinde, mit Lanze und Schild, und mit der Umschrift: Oddo. Dī. Gra. Rex.

\*) Alles ausgelassene wie in der Urkunde Heinrichs I. vom J. 922.

\*\*) Die einzige Abweichung ist: nostrae largitionis auctoritas, und manu propria nostra.

XP.

## LII.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia rex. Nouerit omnium fidelium nostrorum || presentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos, Edgide dilecta coniuge nostra et Tutone Bodarbrunnensis aeccliae episcopo intercedentibus, de sanctis monialibus Heriuurdensis coenobii, quatenus illorum praecepta regia, quae a paganorum infestatione exusta sunt, renouare preiciperemus, ob Dei amorem ipsorumque petitionem, prout ea ab antecessoribus nostris habere uidebantur, hoc nostrae auctoritatis renouatione iussimus redintegrari. Id est in primis ut eligere inter se abbatissam quando opus contigerit licentiam habeant. Et quicquid in uestitura supradicti loci siue monasterii nunc temporis paret, siue de regum siue de cuiuslibet personae dono vel traditione, absque ullo iniuste contradictionis impedimento perpetualiter ad eiusdem congregationis nutrimina perseueret. Nec aliquis iudex publicus licentiam habeat in homines ad prefatum monasterium pertinentes ullam iudicariam exercere potestatem; sed omnis eorum res coram aduocato ipsorum definiatur. Quam nostrae corroboracionis auctoritatem, ut firma inconuulsaque permaneat, manu propria firmauimus et anulo nostro sigillari iussimus.

*Signum domni Ottonis (L. M.) inuictissimi regis.*

*Poppo ad uicem Frederici recognoui et (L. S. R.)*

Data III. Non. Apr. Anno dominicae incarnationis DCCCCXL. Indictione XII. Anno Ottonis piissimi regis III. Actum in Quitingoburg amen.

Das aufgedruckte Siegel ist zerstört.

## LIII.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia rex. Nouerit omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum industria, qualiter nos || pro amore Dei, precatui fratris nostri Brun diaconi obtemperantes, pro salute nostra, in elemosina eiusdem germani nostri, usibus fratribus Corbeiensis monasterii, in honore beatissimorum Christi martirum Stephani atque Viti constructi, proprietatis nostrae Centum XX. iugera cum XLIII. curtibus locis in pago Hesse nominato, in villa Rotmereshusun dicta, in Osterbeun marca, in comitatu Allionis, hoc liberalitatis nostrae precepto Jure perenni in proprium donauimus, cum omnibus quae infra eandem proprietatem continentur utilitatibus, mobilibus et immobilibus. Et ut haec nostrae regalis munificentiae concessio, in elemosina ante dicti germani fratris nostri, in prelibato loco Deo seruientibus inuolabilis perpetualiter perduret manu nostra subtus illud firmauimus et anuli nostri impressione corroborari iussimus.

*Signum domni Ottonis (L. M.) serenissimi regis.*

*Brun cancellarius ad uicem Fridurici archicappellani recognoui. (L. S. R.)*

Data X. Kal. Jul. Anno Incarnationis domini nostri Ihesu Christi DCCCCXLII. Indictione XIII. Anno domni Ottonis inuictissimi regis VI. Actum Inimileiba. In Dei nomine Amen.

Das aufgedruckte, gut erhaltene Siegel zeigt das Bildniss des Königs in halber Figur, seitwärts sehend, gerüstet, mit Schild und Fahne, aber mit unbedecktem Haupte, mit der Umschrift: + Otto Di. Grā. Rex.

## LIV.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina auxiliante clementia rex. Nouerit omnium fidelium nostrorum sagacitas tam presentium quam etiam futurorum, || qualiter nos per interuentum dlecti germani nostri Brunonis et uenerabilis abbatis Bouonis ad monasterium sanctorum martirum Stephani

atque Viti quod Corbeia nominatur, bannum super duas villas Meppiun nominatas, sitas iuxta fluum Emisa et Hase in pago Agrotungon in comitatu Thuringi comitis, cum moneta et theloneo, iure perenni in proprium concessimus. Jussimus quoque inde hoc presens preceptum conscribi, per quod uolumus firmiterque iubemus, ut nullus iudex publicus in locis antedictis ullam insuper exerceat potestatem iudicariam, nisi prefati legitimus aduocatus abbatis. Mercatum uero constituant pubblicum in illis ubicumque abbati placuerit locis, pacemque firmissimam teneant aggredientes et regredientes et ibi manentes, eodem modo sicuti ab antecessoribus nostris regibus iam pridem aliis publicis mercatorum locis concessum erat. Et ut haec auctoritas nostra firma et stabilis permaneat, manu nostra firmauimus et anulo nostro insigniri iussimus.

*Signum domni (L. M.) Ottonis inuictissimi regis.*

*Brun cancellarius ad uicem Fridurici archicappellani recognoui. (L. S. R.)*

Data III. Kal. Junii, anno dominice incarnationis DCCCCXLVI. indictione III. regnante pio rege Ottone anno X. Actum Frosa in domino feliciter Amen.

Das Siegel ist verloren gegangen.

## LV.

Aus dem ältesten Kopialbuche des Stifts Corvey.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Rex. Nouerit omnium fidelium nostrorum tam presentium quam futurorum industria, Qualiter nos, per interuentum dilecti fratris nostri Heinrici et uenerabilis abbatis Bouonis, ad monasterium sanctorum martirum Stephani atque Viti monetum atque thelonium in loco Meppia nominato, sito inter aquas Emisa et Hasa, in pago Agrotungun in comitatu Duringi comitis, Jure perenni in proprium donauimus, iussimus quoque hoc praeceptum inde conscribi, manu nostra subtus signato et anuli nostri impressione roborato.

*Signum domni (L. M.) Ottonis serenissimi regis.*

*Brun cancellarius ad uicem Fridurici archicappellani recognoui.*

Data III. Kal. Januar. anno incarnationis dominice DCCCCXLVI. indictione III. anno autem domini Ottonis X. Actum in Tulaheim.

## LVI.

**JC.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto Dei gratia rex. Quicquid locis Deo dicatis liberalitatis regie contulerimus, et ad presentem uitam feliciter transeundam, || et ad aeternam nobis profuturam ueraciter credimus. Proinde pro remedio animae domni genitoris nostri Heinrici regis, et in elemosina domnae genitricis nostraræ Mahthilda et nostri coniugisque nostraræ Aetigidis, ceterorumque nostri debitorum, ad monasterium in loco Angeri nuncupato, ab eadem domina matre nostra regina in honore sanctae Dei genitricis semperque uirginis Mariae sanctique Laurentii martiris constructum, tradidimus proprietatem a Dioterico nobis datam, quam idem eatenus habuit in locis subnotatis. In Selispura V. familias, et in Burae I. famil. et in Oete I. fam. et Lutten I. fam. in Dulmne etiam II. fam. et in Halahtre I. f. in Garta I. f. in Emphstete I. f. in Tettenbura I. f. in Drionheim I. f. in pago Lere, in comitatu Heinrici comitis, in pago autem Hasagovue, in comitatu Liutulfi, in Armike I. f. in Tunghem I. f., in pago Agartinga, in comitatu Sigiberti, in Vueres II. f. in Vuestereim I. f. in Holnidde I. f. in Anarupe I. f. in Laasdorp I. f.

in Terseburhc. in Ammere. In his et prenominatis pagis quicquid idem cum omnibus adiacentis suis. Jussimus quoque hoc presens preceptum conscribi, manu nostra firmatum, anuloque nostro roboratum.

*Signum domni Ottonis (L. M.) serenissimi regis.*

*Brun cancellarius ad uicem Fridurici archicappellani recognoui. (L. S. R.)*

Data II. Idus Julii, anno incarnationis Domini DCCCCXLVIII. Anno regni Ottonis regis XI. Indict. III. Actum in Throtmannia, in Dei nomine amen.

Das aufgedruckte, hier aber nicht vorzüglich erhaltene Siegel, ist anderswo beschrieben.

## LVII.

Abschrift nach dem zu Fischbeck aufbewahrten Originale mitgetheilt von dem Bibliothekar Mooyer zu Minden.

C. In nomine omnipotentis Dei et saluatoris nostri Jhesu Christi. Otto diuina fauente clementia rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris tam praesentibus quam futuris, Nos tradidisse cuidam || uenerandae matronae nomine Helemburhc preedium quod nos habuimus in villa quae dicitur Viscbike iure hereditario et in aliis locis quorum nomina hic subter notata sunt. Itaque eadem uenerabilis prescripta Helmb. postea adiit nostram serenitatem, rogans quatenus concederemus sibi ut congregationem sanctimonialium liceret congregari in antedicta villa Viscbike. Hanc ipsam petitionem concessimus in nomine Domini nostri Jhesu Christi et pro amore sanctae Mariae omniumque Sanctorum, pro remedioque animarum Ricperhti domini sui et Richardi et Aelfdehc filii sui nec non et aliorum suorum proximorum. Hanc etiam illis concedimus potestatem, ut habeant seu inter se siue aliunde abbatissam eligendi liberam ac propriam facultatem, et ut nulli seculari dominio sint subiectae, excepto nostro, qui earum aduocatus ac defensor Deo annuente esse uolumus. Precipientes etiam iubemus, ut nullus iudex publicus neque quislibet ex iudicaria potestate homines predictae aeccliae liberos seu colonos, litos aut seruos, in aliquo negocio iniuste distingere presumat, nisi tantum aduocatus loci illius. Haec sunt predia quae pertinent ad supra dictam aeccliam Viscbike. In illo loco sex mansi pleni. Insuper etiam in his locis ita nominatis. Vuendredesa I. Vuigbaldesthusun IIII. mansi. Benneshusun I. mansus. Haddeshusun I. mansus. Tiadanhusun I. mansus. Hainanhusun II. mansi. Et in aliis locis ad ministerium aeccliae Viscbiki XXVIII. mansi in pago Tilithi in comitatu Herimanni comitis, iterumque in pago Mersten in comitatu eiusdem comitis VIII. mansi, et in pago Laginga VI. mansi in comitatu Dodican, et in pago Vuestfala in comitatu Heinrici comitis X. et VIII. mansi, et in comitatu Hroduuerkes VI. mansi, et in villa quae uocatur Hramnesberg II. mansi, in Flahthorpe I. mansus, in Anion IIII. mansi, et in comitatu Vuirinhardi curtem nomine Thuliberc V. mansi.

*Signum domni Ottonis (L. M.) serenissimi regis.*

*Liutulfus notarius ad uicem Brunonis archicappellani recognouit. (L. S. R.)*

Data IIII. Idus Januarii, anno dominicae incarnationis DCCCC.L.III. Indictione VII. Regnante pio rege Ottone anno XX. Actum Brugkihem feliciter in Domino.

Das aufgedruckte Siegel ist zur Hälfte abgefallen.

## LVIII.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto . . . . . Nouerint omnes fideles nostri presentes scilicet ac futuri, || qualiter nos per interuentum ADALBERTI episcopi nostrique fidelissimi . . . HARDI, cuidam fideli nostro RETOLT dicto quasdam nostri iuris res in pago Hessi, in comitatu comitis qui dicitur BERN, in loco Uestnetri nuncupato, quicquid ibidem BRUNINC comes filiusque eius AMALUNC in beneficium habere uisi sunt, nec non et omne quicquid illis in temporibus ad nostram regalem potestatem ibi

pertinuit, cum curtibus, Mancipiis, Edificiis, Pratis, Pascuis, Siluis, Aquis Aquarumque decursibus, Agris cultis et in cultis, Molendinis, Piscationibus, Mobilibus et in mobilibus, Uii et in uiis, . . . . Quesitis et inquirendis, omnibusque iure legitimeque ad predictum locum pertinentibus, in proprietatem . . . . Ea scilicet ratione, quatinus praescriptus . . . . perpetualiter habeat potestatem tenendi, tradendi . . . . Et ut hoc nostrae largitionis . . . . cartam scribi anulique nostri . . . .

*Liutholf cancellarius ad uicem Brunonis archicancellarii recognouit et subscripsit. (L. S. R.)*

*Signum domini Ottonis . . . .*

Data XVI. Kal. DECEMBRIS. Anno dominicae incarnationis D . . . . Anno OTTONIS serenissimi regis regni XXIII. Actum in loco Dornpurc feliciter AMEN.

Die Charte ist sehr verdorben, das Siegel aber noch vollkommen gut erhalten und wie bereits beschrieben.

### LIX.

C. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Imperator augustus. Nouerit omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam futurorum || industria, qualiter nos sub optentu perpetue remunerationis et pro statu imperii nostri quoddam nostrae proprietatis preedium in comitatu fidelis nostri Osdagi et in pago Nordagoe et in loco uidelicet subnotato situm, ad monasterium sanctae Mariae virginis, quod nostra genitrix uidelicet Mahthildis regina in loco qui dicitur Angeri ob memoriam domini Heinrici regis scilicet et patris nostri construxit, ad augendum et corroborandum donauimus, curtem uidelicet que nominatur . . . .\*) cum omnibus appendiciis suis, mancipiis utriusque sexus, aedificiis, terris cultis et in cultis, quæsitis et inquirendis, uii et in uiis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, exitibus et redditibus, molendinis, mobilibus scilicet et in mobilibus, uel quicquid utilitatis exinde haberi potuerit, ad constr. . . . ad utilitatem famulorum inibi Deo sanctaque Maria uirgine seruentium, prouisor monasterii et congregationis sine ullius contradictione teneat et possideat, et quatuor mansus, quas domina nostra uidelicet Mahthildis regina cum nostra conibentia cum curtibus, locis omnibusque appendiciis suis scilicet aedificiis, mancipiis utriusque sexus, duas in Drodminne sitas, III. in Uuinide, IIII. in Lenglere, ad predictum monasterium donauit, sub ipso imperii tenore uolentes ut per futura secula sine ullius contradictione permaneant. Et ut hec nostrae imperialis auctoritas firmiorem obtineat uigorem et a cunctis sanctae Dei aeccliasie fidelibus nostris melius credatur et diligentius conseruetur, hanc cartam conscribi et anuli nostri impressione signari iussimus, quam et propria manu subtus firmauimus.

*Signum domini Ottonis (L. M.) magni et inuictissimi Imperatoris augusti.*

*Liudolfus notarius ad uicem Uuillihelmi archicappellani recognoui.*

Data XVI. Kal. Aug. anno dominice incarnationis DCCCCLXVI. Indictione VIII. anno uero regni serenissimi regis Ottonis . . . . Actum . . . . feliciter Amen.

Das aufgedruckte grosse und wohlerhaltene Siegel zeigt das vorwärts sehende Bildniss des Kaisers, mit einem Mantel bekleidet, mit dem Feldherrnstab und Reichsapfel, den Kopf mit einem Helme bedeckt; darüber im Halbkreise: + Otto Imp. Aug. — Die Charte ist sehr beschädigt.

### LX.

C. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Imperator augustus. Nouerit omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet ac futurorum industria: || Qualiter quaedam venerabilis

\*) Die Stelle, wo der Name gestanden hat, ist ganz zerstört; die äussere Aufschrift der Urkunde aber heisst: De curte Beuerse pertinente ad Angaron.

abbatissa Hefordensi (*sic*) monasterii nomine Imma, nobis scripta Hluthuuici regis, de quodam mercato cum omnibus inde exigendi usibus, id est moneta, teloneo, vel quicquid ad publicum uidetur pertinere mercatum, in loco Adonhusa nominato, afferens, nostramque dilectam coniugem nomine ADELHEIDAM, haec eadem scripta nos nostri praecepto eius interuentu praeferato monasterio renouari precabatur. Nos uero pro animae nostrae remedio et aeterna remuneratione, more antecessorum nostrorum regum uel imperatorum facientes, eiusque intercessione consentientes, memoratae aecclesiae Herofordensi eiusque abbatissae Imma predictae per futura succendentium tempora, in loco superius nominato, potestatem non solum mercationis constituendum, sed etiam ad ius eiusdem praelibatae abbatissae banno nostro imperiali exigendum, pacemque omnibus quaerentibus mercatum ac redeuntibus faciendum concessimus. Et ut haec nostrae auctoritatis praeceptum cunctae sanctae Dei aecclesiae filiis nostrisque perpetuo verius credatur fidelibus, ac firmum stabileque permaneat, manu nostra subitus propria firmauimus, anulique nostri impressione consigillari iussimus.

*Signum domni Ottonis (L. M.) serenissimi Impr. Aug.*

*Vuilligisus cancellarius ad uicem Rotberti archicapellani recognoui.*

Data V. ID. APR. Anno incarnationis Domini DCCCC.LXX.III. Indictione II. Anno regni domni Ottonis XXXIII. Imperii eius XIII. Actum Vualbech.



Das Siegel ist verloren gegangen.

## LXI.

*Ex vetere manuscripto, in Strunckii not. crit. mscpt. ad Schatenii annales.*

In nomine sanctae et indiuidea Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Imperator augustus. Nouerit omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam et futurorum industria, qualiter Folcmarus Patherburensis ecclesiae uenerabilis episcopus, et Emma Schildecensis ecclesiae uenerabilis abbatissa, nostram rogauere serenitatem, ut illis concederemus concambium quoddam in locis sibi commodis facere. Nos uero quia pie rogarunt, dignum duximus uoluntati illorum consentire. Praedicta uero abbatissa quoddam praedium in comitatu Regenuuerchi comitis et in pago Nieherseo et in uilla Sarramanninhusen, cum omnibus appendiciis suis, mancipis utriusque sexus, terris cultis et incultis, pratis, siluis, aquis aquarumque decursibus, quesitis et inquirendis, exitibus et reditibus, ad haec sex equas, praelibato episcopo et suaee ecclesiae per manum aduocati sui Lutberti in perpetuam proprietatem donauit et concessit. E contra autem episcopus similiter per manum aduocati sui Thiderici abbatissae et suaee ecclesiae concessit quantum decimationis habuisse in suo episcopatu, uidelicet in octo uillis huiuscmodi nuncupatis, Schildece, Alden Schildece, Burigbike, Pauenhusen, Lutbrecteshusen, Selihusen, Edishusen, Gerinctorp, et omnia quae ad curtes eiusdem abbatissae et earum sanctimonialium pertinere uidentur, ad suum dominium et suaee ecclesiae in perpetuam proprietatem donauit, concessit et largitur, et eo tenore, ut liberam inde habeat potestatem dandi, uendendi, commutandi, uel quicquid sibi libuerit faciendi. Et ut hoc a sanctae Dei ecclesiae fidelibus nostrisque melius credatur, praesens praeceptum conscribi iussimus anulique nostri impressione sigillari, manuque propria subitus firmauimus.

*Signum domni Ottonis Imperatoris augusti.*

*Vuilligisus cancellarius ad uicem Rotberti archicapellani notaui.*

Data XIII. Kal. Maii, anno dominicae incarnationis DCCCLXXIII. Indictione II. anno uero domni Ottonis Regni XIII. Imperii VI. Actum Quidelingeburg.

## LXII.

Aus dem ältesten Corveyischen Kopialbuche.

C. In Nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Imperator Augustus. Conuenit nostrae imperiali celsitudini, ut petitiones fidelium nostrorum, has praecipue quas pro ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus suggerunt, ad effectum perducamus, quando hoc ad praesentem uitam prospere peragendam et ad futuram beatitudinem promerendam profuturum liquido credimus. Vnde nouerit omnium fidelium nostrorum industria, quia adiens excellentiam nostri culminis Liudulfus abbas uenerabilis nouae Corbeyae rogauit ut eidem monasterio concederemus talem libertatem, quam a patre nostro coimperatore augusto ceterisque antecessoribus nostris regibus uel imperatoribus accepisse dinoscitur. Cuius petitioni assensum prebentes, interuentu matris nostrae Adalheide, in supradicto monasterio fratribus Deo seruientibus eiusque martiribus Stephano atque Vito, omnes concessions quae anteriorum regum uel imperatorum temporibus habuerunt, concessimus nostraque auctoritate renouauimus, praecipue ut potestatem habeant inter se cum necessitas uenerit abbatem eligendi, et ut a nullo episcopo de dominicalibus mansis eiusdem monasterii decimae exigantur, neque a comitibus ex qualibet iudicaria potestate coloni eorum et liti ad iusticiam faciendam aliquo banno constringantur. Sed coram aduocatis eiusdem monasterii iusticiam facere cogantur, sicut anteriorum regum uel imperatorum temporibus prefato loco concessum fuisse cunctis fidelibus nostris liquido patet. Et ut haec nostrae renouationis ac firmationis auctoritas firmior stabiliorque cunctis perpetim credatur, hanc cartam inde scribi manuque propria nostra subtus roboratam anuli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domni Ottonis inuictissimi Imperatoris augusti. (M.)**Vuilligisus cancellarius uice Roperti archicappellani subscripsi.*

Data V. Kal. Junii anno dominice Incarnationis DCCCCLXXIII<sup>o</sup>. Indict. X. anno regni domni Ottonis XIII. Imperii autem V. Actum Altera in Dei nomine feliciter Amen.

## LXIII.

Aus dem Fürstlich Salm-Horstmar'schen Archive.

Borchardus Dei gratia Sancte Magdeburgensis Ecclesie Archiepiscopus. Vniuersis ad quos presens scriptum peruenire contigerit, Salutem in Domino sempiternam. Ex relatione fideli quorundam nobis immotuit, quod quidam Episcopi ac alii, forsan propter errorem ignorancie, se de iuribus ac pertinentiis cuiusdam cenobii dicti Bruchurst, Monasteriensis dyocesis, ad se tamen minime spectantibus, intromittunt, in nostram et Ecclesie nostre, ad quam dicta iura et pertinentie spectare noscuntur, iniuriam et iacturam. Quare tam presentibus quam futuris per presentis scripti testimonium volumus esse notum, Quod inclite recordationis domini Ottonis Imperatoris Augusti recepimus, uidimus ac tenemus et habemus literas super dicto Cenobio, non cancellatas, non abolitas, sed omni suspicione carentes, in hec verba.

*In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Otto diuino nutu Imperator Augustus.* Cum nostrum esse sciamus, quorumcunque fidelium nostrorum honestis obsequiis petitionibus, sed maxime cum de diuinis rebus ob animarum remedia gerendis, a quibus quam nostra supplicetur serenitas, assensum prebere equum ac condignum esse censemus. Inde cunctorum fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum comperiat industria, Quia vir uenerabilis Adalbertus, sancte Magdeburgensis Ecclesie Archiepiscopus, nostram adiit serenitatem, quoddam ferens preceptum, cuius auctoritate piissimus genitor noster Imperator Augustus Cenobium quoddam Sanctimonialium Burchurst ntuncupatum, duarum Christi ancillarum, Berthe atque Hathwige, primo labore Dei seruicio constructum, et ab ipso iam primordio ad eiusdem Archiepiscopi Magdeburgensis ea ratione subsidium mundiburdio ditatum, quo per singulos annos decem solidi illuc inde persoluantur, in sui tutaminis concluserit defensione, rogitans quoque iam dictus Archiepiscopus, vt idem

Cod. dipl. hist. Westfal.

preceptum Maiestatis nostre auctoritate firmaretur. Cuius nos petitioni benigne consentientes, eadem scripta renouauimus, et idem Monasterium cum omnibus apertinentiis eius in nostrum etiam conclusimus mundi burdum, cum vtriusque sexus mancipiis, edificiis, terris, cultis et incultis, pratis, pascuis, siluis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, mobilibus et immobilibus, viis et inuiis, exitibus et reditibus, quesitis et inquirendis, et cum omnibus ad hoc iure pertinentibus. Inde precipientes iubemus, vt nec eiusdem loci Episcopus, nisi precatu abbatisse, idem monasterium, sanctimoniales velandas, cappellas dedicandas, vel etiam Clericos ad gradus promouendos, ingredi presumat, nec Judex publicus uel exactor, seu quislibet iudicarie potestatis, illarum seruis vel lateris \*) aliquam iniuriam vel distinctionem inferre, aut equos tollere, freda inde exigere vel mansiones poscere, vel actionis vilius rationem, nisi coram illius Cenobii aduocato, quisquam facere presumat vel potestatem habeat. Insuper etiam arbitrium illis concessimus, abbatissas inter se eligendi, scilicet quam diu ex supradictarum Christi ancillarum genere aliqua ibidem tali digna officio reperiatur, communis sensu elegantur. Post autem huius generis defectum, de ceteris, si qua probabilis ad eandem dignitatem fuerit, licenter abbatissa constituatur, Sed nulla omnino illic fiat electio, nisi sub iam dicti Magdeburgensis Archiepiscopi connuentia. Et ut hec nostre renouationis ac defensionis auctoritas firmior stabiliorque cunctis perheniter credatur, hanc cartam iussimus conscribi, anulique nostri impressione signatam propria manu subtus firmauimus. Datum III<sup>to</sup> Kal. Julii, Anno Domini DCCCC<sup>o</sup>.LXXIII. et Actum Magd. In Dei nomine Amen.

Cum igitur Cenobium et iura ipsius prefata, vt liquido appareat ex premissis, ad que etiam confirmatio apostolice sedis, sicut in aliis priuilegiis Magd. Ecclesie reparandis accessit, ad nos et Ecclesiam Magd. spectare noscantur, Rogamus et hortamur vniuersos in filio Dei patris, quatenus ob apostolice sedis et Ecclesie Magd. reuerentiam nos sinant perfrui absque perturbatione iuribus antedictis. In quorum etiam possessione hactenus dicta Magd. Ecclesia fuisse dinoscitur pacifica et quieta. Datum Magd. Anno Domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. X<sup>o</sup>. VI<sup>o</sup>. Kal. Aprilis.

#### LXIV.

E msct. Henseleri.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina prouidente clementia Romanorum Imperator augustus. Nouerint omnes fideles nostri presentes scilicet et futuri, quod nos in Dei nomine et dilectissimae nostrae coniugis Theuphanu rogatu, talem potestatem donauimus Sigiburgae et aliis sanctis monalibus in Hertzenbroike Deo seruientibus, ut nullus comes aut comitis uicarius earum litos liberos uel seruos supra dictarum sanctimonialium in publico mallo aut in alio communi colloquio diiudicet siue banno constringat, sed eiusdem monasterii aduocatus et congregationis exinde suo proprio iudicio regat et secundum qualitatem regiminis diiudicet. Concessimus etiam predictis sanctimonialibus ex imperiali maiestate per priuilegii huius munitionem licentiam eligendi inter se abbatissam Dei seruicio aptam ipsisque ad regendum idoneam, et aduocatum quemcunque utilem fecerint. Et ut haec nostra imperialis auctoritatis concessio firma permaneat, iussimus hoc priuilegium conscribi et anuli nostri impressione muniri.

Data VII. Id. Nouembr. anno dominicae incarnationis DCCCLXXVI. Indictione III. anno uero regni domni Ottonis XV. Imperii VIII. Actum Aruita.

#### LXV.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia imperator augustus. Omnibus christiana fidei religiosis cultoribus ac regiae et imperialis excellentiae magnitudinem fide debita

\*) Wohl richtiger latis.

iure honorantibus astantibus et futuris adhibiti scripti per subiectionem pateat, qualiter nos et fidelem nostrum Liudolfum uidelicet Corbeiensis ecclesię abbatem condecuit quoddam concambium de praediis nostris ob locorum oportunitatem inter nos facere. Dedit igitur praefatus Liudolfus venerabilis abbas ex ratione suae abbatiae per manum aduocati sui Liudolfi duas marcas Meginrichesdorf et Mimilevu dictas, in pago Hassegovue et in comitatu Sigefredi comitis sitas cum omnibus rebus illuc rite pertinentibus, in mancipiis utriusque sexus, aedificiis, areis, agris, pratis, campis, pascuis, siluis, cunctisque aliis appendiciis que dici possunt, nobis ob nostram petitionem firmiter in proprium atque ad integrum a suo iure et ecclesiae suae, quod voto placeat nostro inde agendum, redigit. E contra autem in recompensatione huius traditionis abbati predicto et ecclesię sibi commissę de portione nostrae proprietatis per manum aduocati nostri Liutgeri deditimus quicquid visi sumus habere in uillis Budineveldon, Bruneringhuson, Lellibechi, Rehon, Curbichi, et in Halegehuson dictis in pago Nihtherse et in comitatu Asichonis comitis sitis cum omnibus vtensilibus illuc iure aspicientibus, in mancipiis utriusque sexus, aedificiis, areis, agris, pratis, campis, pascuis, siluis, aquis, cunctisque aliis pertinentiis que dici adhuc aliquomodo aut nominari possunt, atque hoc a nostro iure in ecclesiae superius dictae et abbatis antefati Liudolfi successorumque illius potestatem perpetualiter ibi standum omnino redigimus, et imperiali dominatione ad integrum tradidimus, sed quia praescriptus abbas nostrae votum petitionis sequendo hanc mutuo inter nos factam commutationem comprobauit, id propter suam dilectionem adiecimus, vt ipse suique successores in prefatis deinceps locis quietem habeant, atque ut nullus comes vel iudicaria persona hanc tranquillitatem violare presumat hoc nostri imperii precepto firmiter interdicimus. Ut autem huius concambii utrumque facti traditio per futura dehinc tempora stabilior habeatur, hoc nostrae dominationis praecipuum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare iussimus manuque propria vt infra uidetur corroborauimus.

*Signum domini Ottonis inuictissimi (L. M.) imperatoris augusti.*

*Hildiboldus episcopus et cancellarius ad uicem Uuilligisi archicapellani recognoui.*

Data XVII. Kal. Oct. Anno dominice incarnationis DCCCCLXXX. indictione VII. Anno uero regni secundi Ottonis XX. Imperii autem XIII. Actum Vualahuson feliciter amen.

Das durch Beschädigung der Charte verdorbene Monogramm ist dasselbe wie in der Urkunde für Herford von eben diesem Jahre. — Von dem aufgedruckten grossen Siegel ist nur ein Bruchstück übrig.

## LXVI.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto Imperator Augustus. Si enim liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis . . . conferimus, et ad mortalem uitam temporaliter transeundam, et ad aeternam promeren<sup>dam</sup> credimus liquido profuturum. Qua propter nouerit omnium fidelium nostrorum presentium scilicet ac futurorum sollertia, qualiter nos pro remedio animae nostrae, interuentu dilectae contextalis nostrae Theophanu, quasdam res a Ludthuvico rege monasterio Heriuordensi in honorem sanctae Dei genitricis perpetuae uirginis Mariae constructo et sanctae Pusinnae, quae ibi integro tenetur corpore, duas scilicet curtes Oueranberh et Liuduinesthorp, in pago Angeresgauue et in comitatu\*) sitas, in usum sanctimonialium Deo ibidem famulantum datas, nostrae auctoritatis scriptis renouare nos et confirmare, continentis scilicet XXX. mansos cum mancipiis utriusque sexus, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, areis, aedificiis, quesitis et inquirendis, siluis quoque, pascutionibus, et exitibus et redditibus, et omnibus quae in prefatis locis ad regium ius Ludthuuici pertinere uidebantur, Ea scilicet ratione, ut perpetualiter in usum sanctimonialium in predicto manentium loco sine cuiusquam contradictione teneantur,

\*) Hier im Original eine Lücke für den Namen des Grafen.

nemini in beneficium praestandae. Nec non etiam ipsius traditionem in arbitrio electionis itidem renouamus et confirmamus, dantes sanctimonialibus sanctaeque ecclesiae, sub qua ipsae regulariter uiuunt, eligendi inter se abbatissam potestatem, cum quaelibet earum dominatus iura morte mutauerit. Illud etiam a predicto rege datum roboramus atque sancimus, ut nulla iuridictaria persona in his quae eadem ecclesia continere uideatur, uel exactor, uel publicus iudex causas agere, uel feda exigere, seu ad mansiones uel ad quodlibet ministerium compellere, nisi aduocatus quem eiusdem loci elegerit abbatissa, quia homines sub tutela eiusdem ecclesiae cuiuscumque conditionis agentes ab omni quod nobis debebatur seruitio prorsus absoluimus, data aduocatum constituendi potestate. Et ut haec nostrae confirmationis ac traditionis auctoritas firma in futurum stabilisque permaneat, hanc cartam nostra iussione conscriptam atque signatam manu propria subtus firmauimus.

*Signum domni Ottonis (L. M.) inuictissimi imperatoris augusti.*

*Hildibaldus cancellarius et episcopus uice Uuilligisi archicapellani notaui.*

Data autem Idus Octobris anno dominicae incarnationis DCCCCLXXX. indictione VII. anno uero regni secundi Ottonis XX. imperii autem XIII. actum Brocsalio in Domino feliciter AMEN.

Das aufgedruckte grosse kreisförmige Siegel zeigt das vorwärts sehende Bildniss des Kaisers in halber Figur, gekrönt, in der rechten Hand einen Stab, in der linken den Reichsapfel haltend; mit der Umschrift: + Otto Imp. Aug.

## LXVII.

*Ex Strunckii msct. Not. crit. ad Schatenii Annal.*

In nomine sanctae et indiuinduae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Imperator Augustus. Si sacerdotum ac seruorum Dei petitionibus quas nobis pro suis necessitatibus insinuauerint aurem accommodamus et eas ad effectum ducimus, non solum imperiale exercemus morem, uerum etiam ad aeternae retributionis praemia promerenda hoc nobis profuturum esse liquido credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum praesentium uidelicet et futurorum cognoscat industria, qualiter fidelis noster Gisalharius Magathburgensis secundus et uenerabilis archiepiscopus, nec non et uenerandus abbas Vuerenbrahtus monasterii Vuerdinensis, adierunt celsitudinem nostram, postulantes ut per omnem abbatiam antedicto abbati a nobis concessam aduocatos illi pro monasterialis utilitatis causa disponere ex nostra permitteretur auctoritate. Quorum rationabili et iustae petitioni assensum praebentes, concessimus proprietates monasterii quod in Vuerdina situm est per aduocatos quos ipse elegerit ex hoc praesenti auctoritatis pracepto statuere et ordinare, et ne quaequam iudicaria dignitas aut potestas eis iniuste obsistere ullo modo praesumat. Si autem aliquis de aduocatis inutiliter res monasterii tractauerit et aliis aduocatis locum euacuare noluerit, et ad imperiale dignitatem in longum tractando peruererit, non solum in illius defectu occurrimus, uerum etiam nostrae dignitatis gratiam perdere non dubitet. Et ut haec nostrae auctoritatis largitio cunctis retro temporibus uerius a cunctis fidelibus credatur, manu propria subtus eam firmauimus et annuli nostri impressione signari iussimus.

*Signum domni serenissimi et magni Imperatoris Augusti.*

*Hildibaldus episcopus et cancellarius uice Vuilligisi archicapellani notaui.*

Data VI. Kal. Maji, anno dominicae incarnationis DCCCCLXXXIII. anno uero regni domni Ottonis XXV. imperii autem XV. indictione XI. Actum Romae in Dei nomine feliciter Amen.

## LXVIII.

C. In nomine sancte et indiuie (*sic*) Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Imperator augustus. Omnia fidelium nostrorum presentium scilicet atque futurorum || pie deuocioni pateat, quomodo Liudulfus Corbeiensis aecclesiae uenerabilis abbas per fidem suum legatum Aelberhtum nomine nobis conquestus est, quod predecessores sui eiusdem ecclesiae uidelicet abbates per neglegentiam perdidissent quandam preceptionem quam Hludouicus quondam rex prefato monasterio dedit, in qua continebatur, qualiter ipse Hludouicus rex ad monasterium iam dictum in honore sancti Stephani protomartyris\*) consecratum tradidit quendam locum Ponteburg nominatum et omnem decimacionem in pago Ammeri in episcopatu Adaldagii Bremensis ecclesiae archiepiscopi sitam, et sua preceptione traditionem ipsam confirmauit, pro rei firmitate peciit nostram celsitudinem, ut nos omnem rem quam prefatus rex preceptione sua prelibato monasterio tradidit, de nouo eidem ecclesiae traderemus. Nos uero ob petitionem dilectae coniectalis nostrae Theophanu uidelicet consortis imperii nostri, et interuentum fidelium nostrorum Uuilligisi scilicet Mogontine sedis archiepiscopi et Gisilharii Magadeburgensis uenerabilis secundi archiepiscopi, piam petitionem prefati abbatis Liudolfi benigne suscipientes, nostrae dominationis et preceptionis auctoritate prescriptum locum Ponteburg uocatum omnemque decimationem in predicto pago Ammeri sitam, sicut prefatus rex Hludouicus precepto suo donauit, tradidit ac confirmauit, denuo ac nouiter donamus, tradimus atque confirmamus, et omnibus regia et imperiali potentia, ne aliam controversiam prefato abbati suisque successoribus in predicto loco et decimacione faciant, omnino interdicimus. Et ut haec nostrae donationis tradicio ac confirmatione per futura temporum curricula a cunctis fidelibus firmior habeatur, hoc nostre magnitudinis preceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare iussimus, manuque nostra ut infra uidetur corroborauimus.

*Signum domni Ottonis inuictissimi (L. M.) imperatoris augusti.*

*Hildibaldus episcopus et cancellarius uice Uuilligisi archicapellani recognoui.*

Data XV. Kal. Julii Anno dominice incarnationis DCCCCLXXXIII. Indictione XI. Anno uero regni secundi Ottonis XXV. Imperii autem XV. Actum Uerone feliciter ameN.

Die Charte, und mit derselben insbesondere das Monogramm, ist sehr beschädigt; letzteres gleicht jedoch den Monogrammen von 980, nur ist es grösser. — Das Siegel ist verloren gegangen.

## LXIX.

C. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia rex. Omnia fidelium nostrorum tam praesentium quam et futurorum piae deuotioni pateat, quomodo vir uenerabilis || Thietmarus Corbeiensis aecclesiae abbas nostris obtutibus praesentauit praecepsit domini genitoris nostri beatae memoriae Ottonis imperatoris augusti, in quo continebatur, qualiter ipse quendam locum Ponteburg nominatum a rege Hludouico traditum ad prelibatam ecclesiam in honore sancti Stephani protomartiris consecratam, omnemque decimationem in pago Ammeri dicto et in episcopatu Adaldagii Bremensis ecclesiae archiepiscopi sitam, ab eodem rege illuc condonatam, sua preceptione a nouo concessit ac confirmauit. Pro rei tamen firmitate petiit celsitudinem nostram, ut nos denuo praefati regis traditionem ac genitoris nostri confirmationem preceptione nostra confirmaremus. Cuius vero petitionem, pro amore dilectae genitricis nostrae Theophanu videlicet imperatricis augustae, et interuentione fidelis nostri Vvilligisi Moguntinae sedis uenerabilis archiepiscopi, benigne suscipientes, prescriptum locum Ponteburg vocatum omnemque decimationem in predicto pago Ammeri sitam, sicut praefatus rex Hludouicus antea precepito suo do-

\*) Hier ist von einer andern Hand darüber geschrieben und eingeschaltet: Sanctique ViTi.

nauit, tradidit ac confirmauit, et postea superius iam dictus genitor noster bonae commemorationis Otto imperator augustus nouiter per suam praeceptionem donauit ac corroborauit, nos hac nostrae dominationis et praeceptionis moderna auctoritate ad praedictam Corbeiensem ecclesiam donamus, tradimus atque confirmamus. Unde et regia omnibus maioribus et minoribus firmiter interdicimus potentia, ut praeconomato abbati Thietmaro fideli nostro aut suis successoribus nullam in praedicto loco Ponteburg nuncupato et decimacione supra scripta controversiam faciant, si nostrae pietatis regio com . . . . . desiderent. Et vt hęc nostrę donationis traditio ac confirmatio per futura temporum curricula cunctis fidelibus firmiter habeatur, hoc nostrae magnitudinis praeceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare iussimus manuque propria ut infra videtur corroborauimus.

*Signum domni Ottonis (L. M.) gloriosissimi regis.*

*Hildibaldus episcopus et cancellarius uice Uuilligisi archiepiscopi recognoui.*

Data VI. Kal. Junii. Anno dominice incarnationis DCCCCLXXXVII. Indictione VI. Anno autem tertii Ottonis regnantis quarto. Actum Corbeia feliciter. Amen.

Von dem Siegel ist nur ein Bruchstück erhalten.

## LXX.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia rex: Omnibus fidelibus nostris praesentibus scilicet atque futuris notum esse uolumus quomodo nobilis || matrona Bertha nominata in quodam coenobio Burghurst dicto a fundamento coepit aedificare aecclesiam in honore sancti Nicomedis martiris consecratam, et illuc omnia predia sua sibi iuste inheredata cum consensu et comprobatione coh̄redum suorum condonauit. Pro rei tamen firmitate prefatam aecclesiam cum omnibus appendiciis suis, ne ab inuidis auelli aliquid inde possit, in ius et tuitionem bonae memoriae aui nostri Ottonis imperatoris uidelicet augusti tradidit, deprecans illius gratiam, ut iam dicta aecclesia et omnia illuc ab ea tradita in mundeburdium sanctę Magadaburgensis aecclesiae per eius pr̄ceptionem et priuilegium donarentur. Ille autem eius uotum benigne suscipiens, eandem aecclesiam cum omnibus illuc traditis uel donandis, Magadaburgensi ecclesiae sui pr̄cepti auctoritate subiugauit et confirmauit. Ea scilicet ratione ut sub eius patrocinio perpetim consistat, et archiepiscopus parthenopolitanus, quando opus euenerit, abbatissem et aduocatum ibi constitutat, atque a prefato monasterio census decem solidorum, sicut eadem matrona statuit ac fieri rogauit, propter subiectiōnem ad suam ecclesiam quotannis persoluatur. Sed cum post mortem suprascriptę Berhtae inter filiam eius Bertheidam et fidelem nostrum Gisalharium, prelibate urbis parthenopolitanę secundum archiepiscopum, altercatio quedam magna oboriretur de prediis quae ipsa ecclesiae a se constructę tradidit, eo usque excreuit eadem contentio, quod finiri non potuit, nisi in nostra presentia. Nos autem fidelium nostrorum Uuilligisi uidelicet Mogontini archiepiscopi, et Retharii Poderbrunnensis episcopi pium consilium, aliorumque quam plurium rectas suasiones sequentes, ut lis oborta dissolueretur et Dei seruitium non deficeret in prefato monasterio, nostra regia potestate fecimus inter eos reconciliationem utrumque comprobata, ita ut archiepiscopus iam dictus Gisalharius, ob nostrum uotum et iussum comprobaret, quod eadem Bertheid a manu aduocati eius Uuigmanni pro reconciliatione susciperet omnem hereditatem sui patris Liuterti in sua uestitura semper tenendam. Et e contra ut sanctimoniales prescripti monasterii ad Dei seruitutem prebendam deinceps habeant, per suam manum ipsa, filiis eius Bernhardo et Thuringo consentientibus, pro nostro uoto et iusu in ecclesiae ius ad integrum dimitteret ac redderet cunctam proprietatem uitrici eius Berenradi perpetualiter tenendam, excepto uno loco qui dicitur Curni, quem ipsa concedente archiepiscopo et eius aduocato iam dicto Uuigmanno, cum decem mansis et familiis, pro stabilitate reconciliationis semper possidendam accepit. Hac itaque reconciliatione utrumque comprobata et facta, ipsius et filiorum suorum rogatu, atque predictis fidelibus nostris

Uuilligiso archiepiscopo et Rethario episcopo ceterisque perplurim's intercedentibus, quae in ecclesiae ius pro reconciliatione dereliquit, nos nouiter nostra auctoritate ad eandem ecclesiam donauimus, et ne inde ab aliqua persona inuida, quod a nobis illuc donatum est seu ab aliis traditum siue donatum, umquam diuelli possit, hac nostra preceptione confirmauimus, et insuper nostro regio iusu omnino interdicimus, ut nullus dux uel comes aut regius exactor seu alia quelibet iudicaria persona magna siue parua in agentibus rebus ipsius ecclesie aut prediis illuc traditis aliquam dehinc potestatem exerceat, nisi solummodo protestatiuus aduocatus ab archiepiscopo Magadaburgensi super idem monasterium constitutus. Et ut haec nostrae donationis traditio et confirmatio presenti ac futuro tempore firma stabilisque permaneat, hoc preceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signari iussimus manuque propria ut infra uidetur corroborauimus.

*Signum domini Ottonis (L. M.) gloriosissimi regis.*

*Hildibaldus episcopus et cancellarius uice Uuilligisi archiepiscopi recognoui.*

Data V. Idus Feb. Anno dominice incarnationis DCCCCLXXXVIII. Indictione II. Anno autem tertii Ottonis regnantis sexto. Actum Aruite feliciter amen.

Das aufgedruckte grosse Siegel zeigt das vorwärts sehende Brustbild des Königs mit Krone, Szepter und Reichsapfel, und der Umschrift: Otto Di Gratia Rex.

## LXXI.

Nach dem, gegenwärtig in Privatbesitz befindlichen, Originale.

C. In nomine sanctae et indiuidue Trinitatis. Otto diuina fauente clementia rex. Notum sit omnium || fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum industriae, quomodo sanctimoniales de loco Matellia nominato ad nos uenerunt, nostris obtutibus premonstrantes preceptum predecessoris nostri Arnolfi regis, in quo continebatur, qualiter ipse, rogatu Frideuui, prime eiusdem monasterii abbatisse, quę hoc in honore sanctorum martyrum Cornelii et Cypriani cum sua licentia a fundamento construxit, suaque hereditate ditauit, prefatum monasterium cum omni pređio ab ipsa et aliis religiosis personis illuc tradito sub sue immunitatis regiam tuitionem suscepit, et sanctimonialibus Deo ibi seruientibus, quando opus et usus exegerit, inter se eligendi abbatissam, sua preceptione concessit, et aduocatum super homines et loca eiusdem monasterii, quem ipse comprobauerint, a regibus vel imperatoribus constituendum simul condonauit, sed quia contentio quedam inter eas et Duodonem Mimierneurdensem episcopum, qui hoc sue potestati usurpauit, de electione abbatisse et aduocati constitutione oborta est, rogauerunt nostram celsitudinem, vt huic discidio nostra auctoritate finem faceremus. Quarum petitionibus, ob interuentum fidelis nostri Evergeri Coloniensis ecclesie venerabilis archiepiscopi, aliorumque, Berenhardi ducis et Egerti comitis, ceterorumque fidelium perplurium consultu, obtemperantes, secundum electionem et comprobationem earum, communi consilio fidelium nostrorum, archiepiscoporum et episcoporum, sapientumque laicorum, abbatis sam Godesdiu nominatam, eis dedimus, nostraque manu in presentia omnium abbatiam ei procurandam commendauimus, et aduocatum iuxta uotum illarum Vuigmannum nomine super homines et loca superius iam dicti monasterii regendum constituimus, et hac nostra preceptione electionem et omnia ab antecessoribus nostris regibus vel imperatoribus aut ab aliis religiosis illuc tradita confirmamus, precipientes firmiter regia potestate, ut nullus eas dehinc in aliquibus rebus inquietare presumat. Et hoc vt uerius credatur, hoc preceptum inde conscriptum manuque nostra firmatum sigillo nostro signare iussimus.

*Signum Domini Ottonis (L. M.) gloriosissimi regis.*

*Hildibaldus episcopus et cancellarius uice Uuilligisi archiepiscopi recognoui.*

Data VIII. Kal. Februarii, Anno dominice incarnationis DCCCCXCIII. indictione VI. Anno autem tertii Ottonis regnantis decimo. Actum Trotmannie feliciter amen.

Das Siegel ist zerstört.

## LXXII.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia rex. Si ecclesias Dei nostra regali potentia sublimare conamur, hoc procul dubio et ad praesentis || nostri regni statum, et ad eterne beatitudinis proemium nobis profuturum fore credimus. Quapropter omnibus fidelibus nostris praesentibus scilicet atque futuris notum esse volumus, quomodo nos cum consilio Hildibaldi Uuormaciensis ecclesiē honorandi presulnis ac Bernhardi ducis aliorumque fidelium nostrorum, uota et petitiones domne Imme Heriuortensis monasterii uenerabilis abbatissae cunctaeque congregationis sanctae Mariae sibi commissae sequentes, nostra regia auctoritate tres ecclesias in pagis Bursibant et Scopingon nominatis, in uillis quoque Reini, Vuadiringus et Stochheim constructas, cum omnibus rebus et decimacionibus suis a Hludouico imperatore ob remedium animę suae ad prefatum Heriuurtense monasterium traditas, eidem monasterio more antecessorum nostrorum confirmamus, eo tenore ut iam dicta domna Imma abbatissa omnes in eodem honore sibi succedentes cum predictis ecclesiasticis rebus aliisque omnibus a regibus et imperatoribus per precepti paginam illuc traditis liberam dehinc potestatem habeant cum suis ministris ecclesiastico ordine disponere atque gubernare, remota omnium hominum contradictione. Insuper sub eadem corroboratione concludimus quicquid a religiosis et Deum timentibus personis ad saepè iam dictum monasterium Heriuurtense in praesenti traditum est uel in futuro tradendum erit. Et ut haec nostrae regiae donationis corroboratio ab hac hora in antea firma et inconuulta permaneat, hanc nostrae dominationis confirmationem inde conscriptam sigilli nostri impressione signare iussimus manuque propria ut infra uidetur corroborauimus.

*Signum domni Ottonis (L. M.) gloriosissimi regis.*

*Hildibaldus episcopus et cancellarius uice Uuilligisi archiepiscopi recognoui.*

Data VI. Id. Jul. Anno dominicae incarnationis DCCCCXCV. Indictione VIII. Anno autem tertii Ottonis regnantis XII. Actum Bodfeldon feliciter.

Das Siegel ist abgefallen.

## LXXIII.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia rex. Si piis petitionibus fidelium nostrorum maxime quas pro ecclesiis sibi commissis auribus nostris infuderint || benignum prebuerimus auditum, hoc procul dubio et ad presentis nostri regni statum, et ad eterne beatitudinis premium nobis profuturum fore credimus. Unde omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum nouerit sollers industria, quia adiens excellentiam nostri culminis Dietmarus abbas uenerabilis nouę Corbeiae, rogauit ut eidem monasterio concederemus talem libertatem, qualem ab auo genitoreque nostro nec non et ceteris coimperatoribus uel regibus nos precedentibus accepisse dinoscitur. Cuius petitioni assensum prebentes, interuentu fidelium nostrorum, Uuillisi Mogontiacensis ecclesiē uenerabilis archiepiscopi, ac Hildibaldi Vvormaciensis ecclesiē episcopi honorabilis, in supradicto monasterio fratribus Deo seruientibus eiusque martiribus Stephano atque Vito, omnes concessiones quas anteriorum regum vel imperatorum temporibus habuerunt, concessimus nostraque auctoritate renovauimus, precipue vt potestatem habeant, cum necessitas venerit, abbatem elegendi, et vt a nullo episcopo de dominicalibus mansis eiusdem monasterii decime exigantur, neque a comite vel ex qualibet iudicaria potestate coloni eorum et liti ad iusticiam faciendam aliquo banno constringantur, sed coram aduocatis eiusdem monasterii iusticiam facere cogantur, sicut anteriorum regum vel imperatorum temporibus prefato loco concessum fuisse, cunctis fidelibus nostris liquido patet. Et vt hec nostre renouationis ac confirmacionis auctoritas firmior stabiliorque cunctis

perpetim credatur, hanc cartam inscribi, manuque propria nostra subtus roboratam, anuli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domni Ottonis (L. M.) gloriosissimi regis.*

*Hildibaldus episcopus et cancellarius uice. Uuilligisi archiepiscopi recognoui.*

Data III. Kal. Aug. anno dominicae incarnationis DCCCCXCV. indict. VIII. Anno uero tertii Ottonis regnantis XII. Actum in Gandereshem feliciter ameN.

Das Siegel ist verloren gegangen.

#### LXXIV.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto seruus apostolorum Romanorum Imperator augustus. Omnium fidelium nostrorum tam presentium || quam et futurorum nouerit uniuersitas, quod nos interuentu ac petitione Geppę uenerabilis abbatissę, Maginuardo nostro uenerabili capellano dedimus duos mansos regales in villa Lutterun in pago Ventsgoi dicta, in burguardio quoque Dalehem atque comitatu Herieldi comitis sitos, Quos scilicet cum omnibus eorum utilitatibus, areis scilicet, aedificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, siluis, uenationibus, aquis aquarumue decursibus, molendinis, uiis, inuiis, exitibus siue redditibus, tam quaeſitis quam inquirendis, sibi in proprium tradidimus, eo tenore ut idem Maginuardus, qui nostram ut propriam diligit uitam, de eadem proprietate modis omnibus quicquid uoluerit faciat, et secundum suum uelle disponat. Et ut haec traditio firmior remaneat, hanc paginam manu roboratam propria, ut cernitur inferius, sigillo nostro signari precepimus.

*Signum domni Ottonis (L. M.) caesaris augusti.*

Mit schmalen ledernen Riemen ist ein Bleisiegel angehängt, welches ohngefähr einen Zoll im Durchmesser hat, und auf der einen Seite einen Kopf mit der Umschrift: Aurea Roma; auf der andern aber die Innschrift: Oddo iperator Romanoꝝ enthält.

#### LXXV.

In nomine domini nostri Jesu Christi. || Postulamus notum fieri cunctis fidelibus eorumque successoribus in posterum affuturis, quod quidam liber homo Adalbertus nomine quoddam allodium suum uidelicet septuaginta iugera et II. cum domo et curte in Bedelinkthorp, collaudante herede suo Hamizone, nec non Verdicone et Aezone, in proprium tradidit sancto Johanni Baptiste eiusque regulari familię Schildecensis cenobii, eo pacto ut ei cotidie una cotidiana prebenda unius sanctimonialis in loco supradicto deseruentis detur, et in singulis annis, preter dimidiā marcam tunc ad manus solutam, tres solidi ei persouantur. Hęc traditio exacta est consensu iusti heredis sui, ut dictum est, sub domna GEVA abbatissa supradicti loci, et aduocato Reginaldo, atque ut in omne tempus stabilis permaneat, consolidata est regis banno. Huius traditionis testes sunt fideles. Godescalcus. Reimbertus. Johannes. Berningus et Meinzo presbiteri. et Geroldus diaconus. et Rothierus acolitus. Halinkgerus. Walbertus. Bruno. Liuzico. Rethierus. laici.

Von einem Siegel zeigt sich keine Spar.

#### LXXVI.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Si acclesias Dei nostra regali potentia sublimare conamur, hoc procul || dubio et ad presentis nostri regni statum et aeternae beatitudinis premium nobis profuturum esse credimus. Qua propter omnibus fidelibus nostris presentibus scilicet atque futuris notum esse uolumus, quomodo nos per interuentum dilectę coniugis

nostre et regine Cunigundę, una cum consilio Uuilligisi Mogontiacensis aeccliae archiepiscopi honorandi, ac Berenhardi ducis aliorumque fidelium nostrorum, uota et petitiones domnę Godesdhiui Herifurdensis monasterii uenerabilis abbatissae cunctęque congregationis sanctae Mariae sibi commissae sequentes, nostra regia auctoritate tres aecclias in pagis Bursibant et Scopingon nominatis, in uillis quoque Hreini, Uuadiringas et Stochheim constructas, cum omnibus rebus et decimationibus suis a Hludouuico imperatore ob remedium animae suae ad prefatum Herifurtense monasterium traditis, eidem monasterio more antecessorum nostrorum confirmamus, eo tenore ut iam dicta domna Godesdu abbatissa omnesque in eodem honore sibi succedentes cum predictis aecclasticis rebus aliisque omnibus a regibus et imperatoribus per precepti paginam illuc traditis liberam dehinc potestatem habeant cum suis ministris aecclastico ordine disponere atque gubernare, remota omnium hominum contradictione. Insuper sub eadem corroboratione concludimus quicquid a religiosis et Deum timentibus personis ad sepe iam dictum monasterium Herifurtense in presenti traditum est uel in futuro tradendum erit. Et ut haec nostraræ regiae donationis corroboratio ab hac hora in antea firma et inconuulta permaneat, hanc nostraræ dominationis confirmationem inde conscriptam sigilli nostri impressione signare iussimus manuque propria ut infra uidetur corroborauimus.

*Signum domni Heinrici (L. M.) regis inuictissimi.*

*Egilbertus cancellarius uice Uuilligisi archicapellani recoḡ.*

Data II. Id. Aug. Anno dominicae incarnationis MII. Indict. XV. Anno uero domni Heinrici regis I. Actum Aruitdi.

Das aufgedruckte Siegel ist zwar abgefallen, liegt aber noch lose bei der Urkunde, und es ist nur wenig davon verloren gegangen. Es zeigt den König, sitzend auf einem Stuhle ohne Lehne, aber mit einem Polster bedeckt, das zu den Seiten des Königs zwei dicke, fast kugelförmige Wulste bildet. Das Haupt des Königs ist mit einer flachen Krone bedeckt; seine Hände hoch aufgehoben; in der rechten hält er einen kurzen, in ein Doppelkreuz geendigten Zepter, in der linken eine Kugel mit einem Kreuze (den Reichsapfel). Von der Umschrift ist noch zu lesen: Heinrichus D . . . . . a Rex. †.

## LXXVII.

C. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus scilicet et futuris, qualiter uenerabilis abbas nomine Hosat || nostram adiit excellentiam, suppliciter orans ut nostra magnifica munificentia prospiceremus monasterio cui presidere uideretur, quod est constructum super fluuum Vuisera in loco qui dicitur noua Corbeia in honorem Dei et sancti protomartyris Stephani, ubi et sancti Viti martyris pretiosa pignora seruari noscuntur. Cuius petitioni rationabili propter diuinum amorem et uenerationem beatorum martyrum assensum prebentes, hos apices serenitatis nostraræ circa ipsum monasterium fieri iussimus, per quos decernimus atque iubemus, ut nullus iudex publicus uel quilibet ex iudicaria potestate, nisi solus illius loci prouisor et aduocatus predicti monasterii in ecclesias aut loca uel agros seu reliquas possessiones prefati monasterii, quas moderno tempore iuste et rationabiliter possidere uidetur, in quibuslibet episcopiis, pagis uel territoriis, uel quicquid ibidem propter diuinum amorem et illius sancti loci uenerationem collatum fuerit, ad causas audiendas uel freda exigenda aut mansiones uel paratas faciendas aut fideiuos tollendos, aut ulla redditibiones uel illicitas occasiones requirendas, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam et seruos uel latos iniuste disstringendos, ullo umquam tempore ingredi audeat, uel ea que supra memorata sunt penitus exigere aut exactitare presumat, sed liceat ibidem Deo famulantibus, sub nostraræ immunitatis tuitione quieto ordine uiuere ac residere, quatinus melius illos delectet omni tempore pro nobis et coniuge nostra atque stabilitate totius regni a Deo nobis collati, domini misericordiam attentius exorare. Insuper etiam decimas uel decimales ecclesias in quibusque episcopiis ita teneant atque disponant, sicut sub antecessoribus nostris regibus uidelicet et imperatoribus tenere per precepta uisi sunt atque disponere. Episcopis uero quibus

seruitum et mansionatica debent tempore circuitus sui, secundum scripta sua singulis annis persoluant. Et ut haec auctoritas concessionis atque confirmationis nostrae firmior habeatur, et per futura tempora a cunctis fidelibus sanctae Dei ecclesiae nostrisque presentibus et futuris melius credatur atque diligentius conseruetur, manu propria subter eam firmauimus et sigilli nostri impressione assignari iussimus.

*Signum domni Heinrici (L. M.) regis invictissimi.*

*Egilbertus cancellarius uice Willigisi archicancellarii recogn.*

Data VIII. Kal. Sept. Anno dominicae incarnationis MII. Indictione XV. Anno uero domni Heinrici regis I. Actum Nouiomago.

Von dem aufgedruckten Siegel ist zwar ein grosser Theil des ganzen Umsanges abgebrochen, doch ist die Figur des Königs, auf einem einsachen, mit einem Polster bedeckten Stuhle sitzend, den Kopf mit einer niedrigen Krone bedeckt, die Hände hoch aufgehoben und in der linken den Reichsapfel haltend (die rechte ist grösstenteils mit abgebrochen) noch deutlich zu sehen.

## LXXVIII.

Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus scilicet et futuris, qualiter nos incendio Paderburnensis ecclesie miserabili condolentes, petitione nostri fidelis Retharii uenerabilis episcopi, qui eidem sedi modo preesse uidetur, ut oportuit annuentes, in supplementum iam dictę ecclesie in ius concedimus et per hoc regale preceptum corroboramus forestum quod incipit de Luthera flumine et tendit per Osnig et Sinidi usque in uiam que dicit ad Horohusen, et de hominibus predicti episcopi tam liberis quam et seruis nulla iudicaria potestate constringendis, nisi coram aduocato quem ipse episcopus elegerit, nostra omniumque nostrorum successorum et omnium mortalium contradictione remota. Et ut haec confirmatio stabilior cunctis permaneat temporibus, hanc paginam manu propria corroborauimus et sigilli nostri impressione insigniri precepimus.

*Signum domni Heinrici (L. M.) regis invictissimi.*

*Egilbertus cancellarius uice Willigisi archicancellarii recognoui.*

Data XVII. Kal. Octobr. anno incarnationis dominicae M<sup>o</sup>. II<sup>o</sup>. Indictione I. anno uero domni H. reguantis I. Actum Bochbardon.

## LXXIX.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus superna fauente clementia rex. Si locum diuino cultui mancipatum igneque subitaneo cum ornatu et corroborationum paginis concrematum restaurare, || ornare et iterum sublimare uidebimur, scimus et certi sumus, id non solum laude humana predicandum, uerum etiam diuina mercede remunerandum. Cunctis igitur aecclesiae Dei fidelibus nostrisque astantibus et succedentibus compertum fore uolumus, quod de incendio Paterbrunnensis aecclesiae nimium condolentes, precepta antecessorum nostrorum et oblationes fidelium memoratę sedi hac preceptali pagina renouamus iterumque confirmamus, de quibus unum est de episcopatus statu, dehinc de tutione atque mundiburdio eiusdem aecclesiae, et de omni proprietate ad eandem aecclesiam pertinenti, et de eius hominibus tam liberis quam et seruis nulla iudicaria persona constringendis, nisi coram aduocato, quam ipse episcopus elegerit. Insuper renouamus et confirmamus iam habitae sedi comitatus super pagos Paterga, Aga, Threueresga, Auga, Sorehtfeld, datos pro decimis nouę Corbeię ad monasterium pertinentibus, et de proprietate clericorum, si quis sine herede illorum abierit, eidem aecclesiae concessa, et de tribus mansis in Tuisburc et in Trutmannia, et de foresto quod incipit de Delhna flumine et tendit per Ardennam et Si-

nedi usque in uiam quae dicit ad Herisi. Haec igitur omnia quae supra scripta habentur, et quæ illa die tenere et possidere uidebatur quando combusta fuit, sepe nominatæ sedi Paterbrunnensi in ius proprietarium donamus et firmissima traditione restauramus. Ea scilicet serie, ut dominus Retharius memoratae sedis uenerabilis antistes omnesque sui successores uniuersa quæ ad episcopium aliqua legali datione pertinent, securiter obtineant nostra omniumque nostrorum successorum et omnium mortalium contradictione remota. Et ut haec renouatio et confirmatio stabilior cunctis permaneat temporibus, hanc paginam manu propria roboramus et sigilli nostri impressione insigniri precepimus.

*Signum domni Heinrici (L. M.) regis invictissimi.*

*Egilbertus cancellarius uice Uuilligisi archicappellani recog.*

Data III. Non. April. Anno dominicae incarnationis MIII. Indictione I. Anno uero domni Heinrici regis I. Actum Quidilingaburc.

Das grosse, den auf dem Throne sitzenden König darstellende Siegel ist der Urkunde seitwärts aufgedruckt. — Am äussersten Rande der Charte steht mit sehr feiner, aber viel jüngerer Schrift: Hoc non est legendum nisi communicato consilio.

## LXXX.

C. In nomine sancte et indiuiduæ Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Omnia sancte Dei aecclesiae nostrorumque fidelium presencium ac futurorum comperiat || uniuersitas, Qualiter domna Frede runa uenerabilis abbatissa eiusque soror Imma comitissa Gerone comite adiuuante construcserunt quoddam monasterium ad honorem sancte Dei genitricis et perpetue uirginis Mariæ dedicatum, ad quod omnem hereditatem, hoc est Keminetan, Hegen, Barigi, Tundiriu, Othere, hec sunt in Tilihi, Uarstan in Auga, Rothe in Uuikanauelde, Bardenuic, Hotmannessun, Uuitthorp, Britlingi, Biangibudiburg, Addtunesthorp, Hatherbiki, Bodanhuson, Sutherburg, in Bardanga, Claniki, in Dreuani, Uuigmannesburstal, Bennedesthorp, in Mosidi, Uuidila, Uualdersidi, Kokerbiki, in Heilanga, Holana, Aun, Setila, in Hogtrunga, Hepstidi, Singas, cunctaque earum hic prememorata predia gratissima uoluntate tradiderunt, quæ uero sita sunt in comitatu Bernhardi ducis, unde nostram regalem aggressæ maiestatem, suplices rogauerunt, ut ipsum monasterium in nostri mundiburdio susciperemus, talisque libertatis ac legis primatum concederemus, qualem Gandesheim, Quitilinburg, Heriuurti tenere uidentur. Quod nos petitione Theodrici Mimidonensis episcopi fecisse, omnium noscat uniuersitas fidelium. Ad hec statuimus ut in prefata abbatissæ sueque sororis comitissæ potestate predictum monasterium et abbacia nostro persistat concessu diebus uite earum, post obitum uero utrarumque earum ad nostrum publicum eadem abbacia ius in perpetuum pertineat. Insuper autem uolumus ut nulla maior sine minor regni nostri persona in eadem abbacia placitum facere aut aliquam sibi molestiam inferre uel publicam functionem exercere, nisi aduocatus abbatissæ sanctarumque monialium. Hoc etiam nostra regali auctoritate eidem concedimus abbaciæ, ut sancte moniales eiusdem monasterii abbatissa defuncta licenciam habeant eligendi aliam ad hoc idoneam. Et ut huius nostre auctoritatis preceptum firmius omni tempore perseueret, hanc paginam manu propria roborantes, sigillo nostro iussimus insigniri.

*Signum domni Heinrici (L. M.) regis invictissimi.*

*Egilbertus cancellarius uice Uuilligisi archicappellani notaui.*

Data III. Non. Nouembr. Anno dominice incarnationis M. IIII. Indicione II. Anno uero domni Heinrici II. regis III. Actum Magadeburc.

Die Charte ist sehr beschädigt, und vom Siegel nur ein Bruchstück übrig, auf welchem jedoch der Zepter in der rechten Hand des Königs noch sehr deutlich zu erkennen. — Die im Originale verschwundene Angabe des Regierungsjahres ist aus dem Corvey'schen Kopialbuche ergänzt.

## LXXXI.

**+** Johannes episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Ratario Paterbrunensi uenerabili episcopo suisque successoribus In perpetuum. Sacrosanta apostolica sedes dum materne pietatis et regiminis uniuersalis in ecclesiis Christi optinet officium corroborationis doctrine et auctoritatis impendere incessanter eisdem debet suffragum. Quocirca tue postulationi, karissime fili, in concedendo tibi tueque sedis ecclesie apostolice auctoritatis priuilegio, et libenti animo annuimus et gratissima animi indulgentia concedimus. Ita enim caput gaudere poterit, si membra integra stabilito robore se habere senserit. Igitur ut ab antiquis sancte Paterbrunnensis ecclesie sedes, cui Deo auctore presides, fundata ac rebus diuersi generis dotata est, ut que bonorum uirorum ac fidelium Christi collatione actenus copiis diuitiarum possessionumque acreuisse uisa est, ita eam perpetuo apostolici iuris precepto tibi tuisque successoribus in perpetuum manere decernimus. Sintque a prauorum incursione, dolo et direptione tuta quecumque predicta ecclesia immo sedes episcopalibus possedisse actenus uidetur, uel quecumque acquirere fidelium Christi collatione acquirere potuerit, id est uicos, possessiones, curtes, dioceses diocesensiumque territoria sibi pertinentia. Item domos, castella, agros, uineta, flumina, lacus cum omnibus que in eis fiunt instrumentis, seruos etiam et ancillas, itemque colonos, census seu redditus, aut etiam pensiones. Ista omnia et sicut supra dictum est quorūcumque possessionem predicta ecclesia habere uisa est aut uidebitur, auctoritate apostolica eidem confirmamus et corroboramus, et in perpetuum ualere decernimus, ut nulla uiolentia aut ingenio ab ea subripiantur aut alienentur. Item decernimus beati PETRI apostoli auctoritate, ut nulla ordinatio ibi episcopalibus existat, id est nullus consecratur episcopus in predicta ecclesia, nisi electione filiorum eiusdem ecclesie approbatus. Si quis autem insanus aut presumtor res eiusdem ecclesie deustantio aut diripiendo itemque minuendo contra hoc nostre auctoritatis priuilegium uenire temptauerit aut obseruare despexerit, nisi condigna emenda t . . . e resipuerit, excommunicationi subiaceat anathematis uinculo innodatus, maledictione eterna damnatus sit et cum reprobis poenis subiaceat perpetuis.

**† BENE VALETE.**

Datum et scriptum per manus Petri abbatis et cancellarii sacri palatii in mense Decembrio inductione quarta, Anno Deo propitio domni Johannis XVIII. papę tertio.

Das Siegel ist verloren gegangen.

## LXXXII.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina ordinante prouidentia rex. Diuinæ pietatis clementia || quae Nos ad culmen regiae maiestatis perduxit, ad hoc uoluit regnare, ut ecclesiarum ordini firmando atque corroborando subueniamus. His autem maxime locis, quae ab antecessoribus nostris regibus imperatoribus fundata, sed iam peccatis exigentibus pene uidebantur annullata. Quapropter omnium fidelium nostrorum presentium scilicet ac futurorum industriae notum esse volumus, qualiter Nos diuini amoris instinctu, pro remedio animae Nostrae seu parentum nostrorum, Nec non et tertii Ottonis bonae memoriae imperatoris, dilecteque coniugis nostrę CVNIGVNDAE reginae interuentu, atque Meginvverc sanctae Podrebronnensis ecclesiae venerabilis episcopi rogatu, sibi sanctaeque suac ecclesiae a Karolo magno imperatore olim fundatae, nostris vero temporibus incendium passae, in honore enim sanctae Dei genitricis semperque virginis MARIAE et sancti Kiliani martiris LIBORIIque confessoris dedicatae, comitatum quem Hahold comes dum vixit tenuit, situm scilicet in locis Hauerga, Limga, Thiatmalli, Aga, Patherga, Treuresga, Langaneka, Erpesfeld, Silbiki, Matsfeld, Nihterga, Sinatfeld, Balleuan prope Spiada, Lambiki, Lession, Seuardeshusun, cum omni legalitate in proprium concedimus atque largimur per hanc nostram

regalem paginam, eo videlicet rationis tenore, vt prefatus episcopus Meginvverc suique successores praescriptae ecclesiae presidentes dehinc liberam habeant potestatem, de eodem comitatu eiusque utilitatibus quicquid eis placuerit faciendi, ad eorum tamen utilitatem ecclesiae, omni videlicet inquietudine remota. Et ut haec nostre traditionis seu confirmationis auctoritas stabilis et inconulsa omni habeatur tempore, hoc preceptum inde conscriptum manu propria firmare curauimus, et sigillo nostro insigniri iussimus.

*Signum domni Heinrici (L. M.) regis inuictissimi.*

*Guntherius cancellarius ad uicem Erkambaldi archicappellani recognoui.*

Datum III. Idus April. Indictione VIII. Anno dominicae incarnationis millesimo XI<sup>mo</sup> Anno vero domini secundi Heinrici regnantis VIII. Actum Tribura regia villa FELICITER AMEN.

Das seitwärts dicht neben der Monogramm- und Recognitions-Formel aufgedruckte, grosse kreisförmige Siegel, zeigt den König, mit einer niedrigen Krone bedeckt, beide Hände hoch aufgehoben, in der rechten einen in eine Lilie ausgehenden Stab, in der linken eine Kugel haltend, auf einem niedrigen, verzierten Stuhle ohne Lehne, und auf einem Kissen sitzend, das zu beiden Seiten des Königs zwei dicke Wulste bildet; die Umschrift heist: Heinricus Dī, Gratia Rex. †.

### LXXXIII.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Quoniam diuinae dispositionis prouidentia nos ad sumnum rei publicae culmen regendum prouexit || et uniuersitati multorum, quamuis merito inferiores, tamen eminentiore quadam nominis prerogativa preesse disposuit, eius, cuius misericordia sumus sublimati, in omnibus oportet obedire preceptis, vt utilitati subditorum prouidentes, quanto plus pre ceteris sub specie honoris ascendisse cernimur, tanto magis interius humiliati, his qui sub umbra regiminis deseruiunt, debitum retributionis exhibendo familiari compassione condescendamus. Nam si qualitates seruentium nobis piae discrecionis intuitu examinantes unicuique pro qualitate meritorum recompensare studuerimus, debitum persoluendo dominicum preceptum implemus, et excellentiam regiae dignitatis\*\*\*<sup>1)</sup>

\* studere uidimus, <sup>2)</sup> quandam cortem nostrae proprietatis Berneshuson dictam, in pago Lisga, in comitatu Vdonis sitam, quam ab Vnevano Bremonense archiepiscopo donante per aduocatum suum Vdonem absque omni contradictione <sup>3)</sup> legitima traditione accepimus, sauctae Paderbrunnensi aecclesiae in honore sanctae Dei genitricis Mariae sanctorumque Kiliani martiris et Liborii confessoris consecratae,<sup>4)</sup> pro remedio animarum diuē memoriae Ottonis imperatoris terciī senioris scilicet nostri omniumque parentum nostro-

<sup>1)</sup> Da die Charte sehr verdorben und in zwei Stücke zerrissen ist, so ist in der Mitte, durch die ganze Breite derselben, ein Theil verloren gegangen. Auf den ungleich hervorstehenden Rändern sind von zwei Zeilen noch einzelne unzusammenhängende Worte lesbar, aus denen sich schliessen lässt, dass in dem Fehlenden die Personen genannt waren, auf deren Verwendung die Schenkung geschah.

<sup>2)</sup> In einer andern, gleichzeitigen, aber ebenfalls nur fragmentarisch erhaltenen Ausfertigung derselben Urkunde, findet sich, anstatt der obigen Einleitung (Quoniam — uidimus), die folgende: Tribunal animae dilatamus, si aecclesias Christi cum sibi subiectis ampliamus. Qua de re fidelium Dei uniuersitati pateat, quod hac intentione, interuentu dilectissimae contextalis nostre Cunigundae reginae, nec non et Heriberti archiepiscopi Coloniensis, Adalbaldi Traiectensis, Theoderici Mimegardeuurdensis, Theoderici Metensis, Bernunardi Hildeneshemensis, Thietmari Osnebrugensis, Erici Huelbergensis, sanctae Paterbrunnensi aecclesiae in honorem sanctae Dei genitricis Mariae sanctique Kiliani martiris et sancti Liborii confessoris consecratae, cui etiam Meinuercus venerabilis episcopus presidet,

<sup>3)</sup> Die drei letzten Worte fehlen in der zweiten Ausfertigung.

<sup>4)</sup> In der 2. Ausf. fehlen die Worte sanctae — consecr. weil sie schon früher eingeschaltet sind.

rum simul ac dilectissimè coniugis nostrae et stabilitate regni,<sup>5)</sup> proprietario iure concedimus cum omnibus appertinentiis, rebus, territoriis, uillis, mancipiis utriusque sexus, siluis, uenationibus, aquis aquarumue recursibus, molendinis, piscationibus, uiis et inuiis, exitibus et reditibus, pratis et pascuis, et cum omnibus acquisitis uel inquirendis. Ea ratione vt prenominatus episcopus eiusque successores liberam potestatem in eiusdem aeccliae utilitatem uertendi habeant. Si quis autem in posterum, quod absit, prefatam aeccliam inquietare contendat de eisdem prediis, perpetuo anathemate condemnetur. Insuper C. libras auri optimi componat, dimidietatem regiae camere, et reliquam partem<sup>6)</sup> eidem aeccliae quam inquietare presumpsit. Et ut haec nostrae tradicionis auctoritas stabilis<sup>7)</sup> permaneat, hanc<sup>8)</sup> regalis precepti paginam conscribi ac manu propria confirmantes sigillo nostro iussimus insigniri.

*Signum domini Heinrici secundi regis (L. M.) inuictissimi.  
Guntherius cancellarius uice Ercambaldi archicappellani . . .<sup>9)</sup>*

Von dem aufgedruckten Siegel ist noch ein Bruchstück vorhanden.

#### LXXXIV.

Aus dem jüngeren Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. Quoniam diuinae dispositionis prouidentia nos ad regendum tocius reipublicae monarchiam apostolica benedictione prouexit, ante omnia autem hoc laborare debemus, ut qui coronam terreni imperii concessit, post emensum huius uitae spaciū ea etiam coronari permittat, quae non auferatur in aeternum. Quod potissimum fieri decernimus, si loca ecclesiasticis obsequiis deputata nostra auctoritate corroborentur, ut omni exteriore inquietudine remota in tranquilitate permaneant, quatinus eorum precibus adiuuemur, qui ibi die noctuque orationibus in Dei seruicio uacare debentur, et quod per nos, utputo conscientia trepidi, querere non presumimus, sanctae Dei ecclesiae seruientium pia intercessione impetremus. Quapropter uniuersitati fidelium nostrorum patere uolumus, qualiter Megenuercus Paterbrunnensis ecclesiae uenerabilis Episcopus, pro ecclesiastica utilitate arduum labore aggressus, nobiscum limina beatorum apostolorum Petri et Pauli pia intentione quesivit, deuote supplicaturus, ut ecclesia cui ipse pastorali cura presidet, in primis apostolica, deinde nostra imperiali auctoritate corroboretur, pro eo maxime, quia, quando ecclesia fuit concremata, omnia eiusdem ecclesiae precepta atque priuilegia incendio perierunt. Cuius peticioni, quia rationabilis uidetur, gratuito adsentientes, quicquid eadem ecclesia per iusticiam obtinere debet antecessorum nostrorum uel nostra oblatione, ceterisque fidelibus ibi collatum in rebus, territoriis, uel in comitatibus ac districtu, uel quibuscumque utensilibus, ac quicquid ipse Episcopus predictus Megenuercus de sua hereditate ibi contulit, uel aliunde per commutationem aut precariam legaliter adquisivit, denuo stabili dono concedimus et imperiali auctoritate confirmamus. Si quis autem nostrae confirmationis edictum ulterius aliqua presumptione infringere temptauerit, Centum librarum auri ad nostrum pondus compositione multetur, ac dimidium camerae nostrae persoluat, reliquum uero eidem ecclesiae, quam temerarie inquietare presumpsit. Et ut haec confirmatio per successiones temporum stabilis et in-

<sup>5)</sup> Anstatt der Stelle omniumque — regni, hat die 2. Ausf.: et incolomitate uitae nostrae utriusque presentis uidelicet et futurae, coniugisque nostrae dilectissimae, nec minus pro stabilitate regni,

<sup>6)</sup> Anstatt dimid. — partem, heisst es: L. reg. cam. et L.

<sup>7)</sup> Die 2. Ausf. schiebt ein: et inconuulsa

<sup>8)</sup> Von hier an ist in der zweiten Ausf. der übrige Theil des Textes, nebst Monogramm, Datum und Siegel verloren gegangen.

<sup>9)</sup> Das übrige, nebst der ganzen Datums-Formel, ist weggerissen. — Eine dritte, über dieselbe Schenkung von Heinrich als Kaiser ausgefertigte Urkunde, die am meisten mit der zweiten Ausfertigung übereinstimmt, wird weiter unten vorkommen.

conulsa permaneat, hanc imperialis precepti paginam inde conscribi ac manu propria confirmantes Sigillo nostro iussimus insigniri.

*Signum domni Heinrici serenissimi et inuictissimi Imperatoris. (L. M.)  
Gunterius Cancellarius uice Ercanbaldi Archicapellani recognoui.*

Data Indictione XI. anno dominicae Incarnationis M. XIII. anno uero domni Heinrici secundi regnantis XII. Imperii uero I. Actum Papiae feliciter Amen.

### LXXXV. \*)

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. Necessere est utcum res bona agitur, prius eius . . . || . . . \*\*) in corde uincatur. Ne si a radice miserè intentionis prodeat, amaros nequiciae fructus producat. Ea propter non surdi auditores euangelicae Marthae, cuius more Meinuuercus episcopus nobis frequenti ministerio satagit deseruire, ob interuentum Cunigundae imperatricis augustae contectalis uidelicet nostrae, nec non Euerhardi sanctae Babenbergensis sedis episcopi, sed et Egilberti Frisingensis ecclesie pontificis, sacrosanctae Patherbrunnensi ecclesiae in honore S. Mariae mundi dominae sanctique Kyliani martyris atque Lyborii confessoris Domini consecratae, curtem Honstede dictam cum omnibus pertinentiis, terris uidelicet cultis et in cultis, mancipiis utriusque sexus, molendinis, piscationibus, aquis aquarumue decursibus, quibus scilicet archiepiscopus Onvvan eam possedit nobisque legaliter tradidit, in pago Rittiga, in comitatu Bernhardi comitis, perpetuo iure possidendam tradidimus. Et ut haec nostrae imperialis traditionis auctoritas firma et inconulsa permaneat, sigilli nostri impressione hanc paginam manu propria corroborando supter bullari iussimus.

*Signum domni Heinrici (L. M.) imperatoris inuictissimi.  
Gunterius cancellarius uice Erchanbaldi archicapellani notaui.*

Data XVIII. Kal. Febr. Anno dominicae incarnationis Mill. XV. Indictione XIII. Anno autem domni Heinrici secundi regnantis XIII. Imperii uero primo. Actum Mulinhusen feliciter AMEN.

Das Siegel war mit einer rothen Schnur, von welcher noch ein Ueberrest vorhanden ist, angehängt, also wahrscheinlich ein Metallsiegel.

### LXXXVI.

Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn.

Anno dominice incarnationis Millesimo XVº. Mainuuero uenerabili episcopo Paterbrunnense cenobium digne Deo laudabiliterque mundo regente et custodiente, quidam miles Mainheri nominatus, diuina ut credimus ammonicione compunctus, qualiter se aeternae hereditati adsociaret atque inextinguibiles flamas euaderet, quicquid ullius habuit proprietatis in Burgnun et in Balhornun et in Scharhem ad monasterium a prefato episcopo nouiter constructum et ad ministerium fratrum et utilitatem ibidem famulantium, omnibus altercationibus amissis, Amulungo eiusdem monasterii aduocato accipiente, in proprium tradidit et amisit. Ea uidelicet ratione addicta, ut post huius suae uitae cursum unusquisque fratrum prenominatorum

\*) Das Original dieser Urkunde ist sehr beschädigt, der Text musste daher grossentheils aus dem Kopialbuche ergänzt werden. Dieses gibt der Urkunde die Jahrzahl 1012; auch im Originale scheint die Zahl ursprünglich XII. gewesen, und erst später in XV. verändert zu sein. Der in der Urkunde gebrauchte Imperator-Titel, und die angegebenen Regierungs- und Kaiserthums-Jahre zeigen indessen unwidersprechlich, dass die Urkunde nur in das Jahr 1015 gehören kann.

\*\*) Im Kopialbuche steht an dieser Stelle: elatio; im Originale ist indessen der Raum des Ausgefallenen so gross, dass man mehr als ein Wort vermuten muss.

per anniversarios eiusdem dies unum panem et unam carnem et eminam medium pro commemoratione ipsius animae accipiat. His uidelicet firmiter peractis, predictus Mainuuercus episcopus superna compunctione ammonitus, qualiter omnibus quibus hoc foret compertum, ad diuini cultus augmentacionem cor promtius adtraheret suaque voluntati animum unuscuiusque deuotiorem subnecteret, unam curtem Sulichem nominatam cum omnibus utilitatibus ad eandem curtem pertinentibus, et triginta aratrorum decimas eidem Mainhario, cum suo aduocato Amulungo, non in precariam sed in beneficium ad suae uitae tempus prestitit, et si aliquis sui successorum prescripti beneficii aliquid infringendo minuerit, sua accipiendi liceniam habere sibi promisit. Huius tradicionis testes introducamus. Dodica comes. Brun. Amulung. Ecbehrt. Vuikin. Tamma. Rediald. Engilmar. Thiadric. Othelric. Alfric. Iba. Brunhard. Buna. Isger. Thiatmar. Sicca. Liucika. Acilin. Eza.

### LXXXVII.

#### Überreste der Urkunden über die, durch den Bischof Meinwerk, für die Kirche zu Paderborn, von verschiedenen Personen erworbenen Besitzungen.

I. Quidam nobilis qui uocabatur iunior Meinheri, humanę fragilitatis memor, quoddam premium nomine Hengilderi ad dominium sanctę Dei genitricis Marię et sancti Kiliani martyris sanctique Liborii confessoris, cum consensu uxoris sue Hunime et filie eius Odę, iustissimę heredis sue, pro remedio anime sue in proprium tradidit. Vnde episcopus Meinuuercus presul Patherbrunensis, Dei misericordia motus, XX. aratra et C. maldra annone, quamdui ipse Mainherius uiueret, omni anno concessit. Vxori uero sue in presentia Ekkihardi et Liudulfi comitum, ut hoc laudaret, III. libras denariorum misit.

II. Diuina gratia ammonente, Volcmarus cum assentatu suorum fratrum nomine Nithig et Warinherd, duo predia Holthem et Aslan, in sancto die Lamberti martyris, in quodam loco qui uocatur Ringhelmi, ad sedem Patherbrunnensis ecclesie in honore Kiliani martyris et Liborii confessoris, cum omni utilitate eiusdem predii, Eilberto id accipiente, omni contradictione procul remota, in proprium tradidit. Huius traditionis fuerunt testes. Liudulf comes, et Erpo comes, et ipse episcopus Machinuardus, et Benna comes, et Ekkico comes, et Eilbracht et Tiada milites Liudulfi comitis.

III. Quidam noster fidelis frater nomine Nithing, memor humanę fragilitatis, quedam loca Holthem et Buronan, cum omnibus appendiciis, mancipiis utriusque sexus, in uillis, in agris cultis et incultis, in pratis, in siluis, in pisationibus, pro remedio anime sue suorumque parentum, per aduocatum suum nomine Uuerinhardum, ad dominium sanctę Marię matris domini nostri Jesu Christi et sancti Kiliani martyris Liboriique confessoris in proprium tradidit. Quo facto Paterbrunnensis ecclesie uenerabilis presul nomine Meinuuercus bannum super Horohusun et quandam locum Uuaueri nominatum atque Bokinaurdi usque in exitum sue uitę eidem concessit, ea uidelicet ratione, si predictus dominus Nithing uitam imperatoris Heinrichi superuueret, ut anniuersarium eius sicut unius episcopi Paterbrunnensis de sola curte Bokinaurdi faceret, et CCC. elemosinas pro anima eius daret, et in eadem die exitus eius et anniuersarii unum pauperem cum I. camisia et I. bracca et I. cotte et I. tunica, duabus hosan et uniunculis et caltiamentis et cirotecis et pilleo et cingulo uestiret, et in natali sancti Kiliani martyris plenum conuiuum ecclesiasticis fratribus, sicut in natali sancti Liborii confessoris, de prenominata curte Bokinaurdi similiter persolueret. Post uitam domni Nithinches, si quis confratrum eandem curtem Bokinaurdi tenuerit, anniuersarium imperatoris et conuiuum in natali sancti Kiliani, sicut prenominatus dominus pleniter faciat.

Hoc cirograuum ideo scriptum est, si ipse episcopus Meinuuercus aut aliquis eius successorum domino Nithinche aliquid de his subtrahere uoluerit, ut ei intra episcopatum I. uorouuerc cum XX. litis, et XII. aratris concedatur. Super hec omnia Uuerinhardo heredi suo I. crusinam marthrinam et III. uncias auri pro mercede dedit. II. Non. Novembr. actum in Paterbrunnen.

IV. Quidam presbyter nomine VVlfdagus quicquid proprietatis habuit in Baddunhusun, domno Mainuuero episcopo ad dominium sancte Dei genitricis Marię sanctique Kiliani atque sancti Liborii per suum tutorem cum uoluntate sui heredis iustissimi, Paterbrunnensis cenobii aduocado Ymmido id accipiente, in proprium tradidit, Ea uidelicet ratione, ut a domno Mainuuero quedam ecclesia in oppido Pumissun sita cum omnibus ad eam pertinentibus, et pars ecclesie in villa Baldereshusun sita, que ad episcopum Paterbrunnensem pertinet, supradicto presbytero usque in finem uite sue in beneficium concederetur, et post eiusdem presbyteri obitum sue matri ex parte episcopi in Pumissun omnibus diebus uite sue detur annona. At si istud beneficium ab eodem episcopo aut eius successore uel minuitur uel abstrahitur omnino, predictus presbyter suum premium liberam habeat potestatem accipiendi.

V. Quedam sancte moniales Imize et Imuke, etiam sorores, per suum aduocatum, totum quod habebant premium in Karalasthorp cum omnibus appendiciis ad dominium sancte Dei genitricis Marię perpetue uirginis et sancti Kiliani martyris sanctique Liborii confessoris in proprium tradiderunt. Hac uidelicet traditione firmiter peracta, uenerabilissimus Paterbrunnensis ecclesie presul Meinuuercus pia misericordia motus, eis duo talenta pro illo predio dedit, et insuper decem maldra, et I. baconem<sup>1)</sup> cum intestinis, uel I. saginatum porcum, et XXX.VI. modios brasii quotannis se daturum eis promisit, Ea ratione, si ipse uel aliquis eius successor illud infringere studuerit, quod ipse prenominate sorores libere sua reciperent predia.

De testibus. Amulunc comes. Ekibrach. Thietmer. Thiedric. Imuca. Liudbran. Eppa. Rötbald. Hosadus prepositus. Hecil capellanus.

VI. Quidam miles nomine Brun, huius uite fragilitatis memor, pro grauedine suorum peccaminum, et pro anime remedio sui fratri Thiadmari, ad dominium sancte Marię et sancti Kiliani martyris et sancti Liborii, quicquid habuit proprietatis in Betanum et in Uualdenstidi, in mancipiis utriusque sexus, in areis, in agris, in pratis, in aquis, in siluis, cum consensu sue heredis Idae, in proprium tradidit, Eo uidelicet pacto, ut quamdiu uiueret hoc beneficium quod ei Meinuuercus Paterbrunnensis ecclesie episcopus concessit, hoc est Boffessun et Hemmedesun cum omnibus appendiciis in integrum ad suos usus possideret, et si uel iste uenerabilis episcopus M. uel aliis eius successor inde quid eriperet, tum potestatem suum haberet iterum recipere. Huius tradicionis hos introducimus testes. Dodican comitem. Ymmiden comitem. Volc bald comitem Gerbard. Amulung. Triadric. Sicca. Benna. Benneka. Mainuuerc. Egia. Bosa. Ysica. Azilin. Thiadric. Adalbert. Adulf. Bernhard.

VII. . . . . nomine Alfric dedit episcopo Meinuuero XX. agros et I. aream in Aldunthorpe. Ob hoc dabantur sibi et uxori eius I. caballus, et XII. solidi denariorum, et II. panni lanei, et II. bacones<sup>2)</sup>, et VI. maldra frumenti.

Ob quoddam premium quod Hidda dedit in Burchhusun, dabantur sibi II. caballi et II. boues, et I. crusina grisea, et III. bacones, et II. panni lanei, et VIII. solidi denariorum et III. solidi frumenti.

Wicil de quodam loco qui uocatur Uittisungan dedit episcopo Meinuuero premium quod iacet in Othihem, heredibus eius annuentibus. Ob hoc accepit I. marthrimum roc<sup>3)</sup> pro L. solidis, et insuper III. talenta denariorum et X. solidos.

Heriman de Holthusun accepit in Paterbrunnen XXX. solidos, cuidam uiro qui uocatur Tada pro una domo ad dandum.

Quidam uir nomine Amulung accepit de episcopo Meinuuero X. solidos et I. mulierem ad deferendum cuidam sanctimoniali in Messcethi pro duobus pueris.

<sup>1)</sup> Die vita Meinw. setzt dafür unam pernam.

<sup>2)</sup> Auch hier hat die vita Meinw. duas pernas, so wie in ferneren ähnlichen Fällen.

<sup>3)</sup> Die Vita Meinw. setzt dafür tunicam.

VIII. Quidam miles Bruno uocatus, diuina inspiratione instinctus, cum consensu Wendilburge coniugis sue, quicquid habuit in marca que uocatur Ananroth, in siluis, in aquis, in mancipiis utriusque sexus, ad dominium sancte Dei genitricis Marię et sancti Kiliani martyris et sancti Liborii confessoris in proprium tradidit. Cunctorum notitię fidelium innotescimus, quam benigne qui tunc preerat Patherbrunensi sedi Meinuuercus episcopus suscepserat, IIII. aratra quamdiu uiueret in beneficium ei concessit. Huius traditionis testes introducimus. Hosadum prepositum. Raetluf. Benno. Vito. Sicco. Hizil.

IX. Isti omnes uiderunt, quando dominus episcopus M. I. libram denariorum misit Beuoni per suum nuncium Thrudbertum. Benna comes. Amulung comes. Erp. Heriman. Alfrid. Godica. Meinuuerc. Cathol. Volcherd. Ecilin. Widula. Helmier. Rödherd. Vffa.

X. Diuina fauente clementia quidam nobilis nomine Ecilin cum suo filio Meinhardo iustissimo herede, quicquid habuit hereditatis in Harum cum VIII. mancipiis et omnibus illuc pertinentibus ad altare sancte Dei genitricis Marię et sancti Kiliani martyris Liboriique confessoris in proprium tradidit. Episcopus uero Meinuuercus illius traditionis memor, prenarrato Ecilino quotannis XL. maldra frumenti, IIII. bacones sine minutis, V. oues de episcopali substantia dari constituit. Vnusquisque meorum successorum quotannis hec persoluat, aut premium sibi restituat. Filio autem Ecilini in mercedem I. caballus, et I. lineus pannus, et X. maldra frumenti, et II. bacones dabantur.

XI. Notum sit omnibus fidelibus presentibus scilicet ac futuris, qualiter quidam nobilis Richardus nomine, pro remedio anime sue parentumque suorum, quicquid hereditatis uel proprietatis habuit in uillis ac mercan Gledabiki, Hiridechessun, Hemmanhusun, Heristi, Perranhkusun, Bullanhkusun, aut in omni orientali exercitu, cum consensu ac petione sui iustissimi heredis Wiris, cum omnibus appendiciis illuc pertinentibus, edificiis, areis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, siluis, uenationibus, aquis aquarumue decursibus, molendinis, piscationibus, mancipiis utriusque sexus, et cum omni utilitate que inde fieri potest, ad dominium sancte Dei genitricis Marię, Kiliani martyris Liboriisque confessoris, omni contradictione remota, in proprium tradidit, delegauit atque concessit. Vnde episcopus Meinuuercus, qui tunc Paterbrunnensi ecclesię presidebat, hoc pie perpendens, unam curtim que uocatur Betanun cum XVI. familiis et XX. aratra decimacionum predicto Richardo usque ad terminum uite sue concessit.

Hec autem eo tenore facta sunt, si ipse episcopus aut aliquis eius successorum hoc pactum infringere uoluerit, tunc habeat Richardus potestatem reducere sua. Huius traditionis testes sunt. Bernhardus dux. Conradus comes. Amulunc comes. Thiedric comes. Vffa. Thiedric. Eppa. Hemma. Thiedric. Thietmer. Ercunbrecht. Thiedric. Liudbran. Benni. Rödbal. Alamer. Wicilin. Cristin. Vda. Berda. Gazuuin. Liudric. Ernast. Reinza. Alauich. Aethelherd. Wickier. Poppa. Tiamma. Thiaduard. Azzaca. Eiza. Gela. Wlfherd. Hilliuard. Liuza.

XII. Vestra fidelitas nouerit, quendam de numero fidelium nomine Ricmarum, cum consensu iustissimi heredis atque fratris sui Hrohtuward uocitati, quicquid hereditatis habuit in Uolkiereshusun cum omnibus illuc pertinentibus, in uillis, in siluis, in agris cultis et incultis, in pascuis et in aquis et in mancipiis utriusque sexus, ad dominium sancte Marię genitricis Dei et perpetue uirginis et sancti Kiliani martyris sanctique Liborii confessoris pro remedio anime sue in proprium tradidisse, ut in aliquo sua peccata deleret. Quod uidelicet Paterbrunnensis ecclesię uenerabilis presul nomine Meinuuercus pie perpendens, eidem quendam locum cum quattuor mansis Niganbrunnun uocitatum, et decimacionem super quandam uillam nomine Doddanhkusun, excepta curte, quamdiu uiueret, tribuit, et unum caballum, et I. unciam auri, et I. scutum et I. lanceam illi et fratri suo super hec dedit. Hoc cyrographum idcirco scriptum est, si aliquis successor prefati episcopi hec infringere studuerit, ut ille habeat licentiam reducere sua.

XIII. C. In Christi nomine notum sit omnibus fidelibus, qualiter ego Bernuuardus<sup>4)</sup> pro remedio anime mee animarumque predecessorum successorumque meorum, coessentibus et consentientibus cohære-

<sup>4)</sup> Die vita Meinw. schreibt den Namen Bennaka.

dibus meis, fratre meo scilicet Goddescalco<sup>5)</sup> et filio meo Goddescalco, tradidi ecclesię sanctę Marię genitricis Dei, sanctorumque Kiliani martyris et S. Liborii confessoris, quoddam preedium in uilla Wiriesi cum omnibus appendiciis eius, situm in pago Auga et in coṇtitatu Bennonis comitis. Vnde episcopus Meinuuercus eiusdem sedis honorandus antistes eius rei gratia dedit mihi in uita XI. aratra in Baddanhusun, et in Ahusun VIII. aratra<sup>6)</sup>, et II. talenta denariorum, et III. ceruicias, et IIII. bacones, et XX. maldra annonę. Actum in Uuardbergi, presente predicto episcopo, et testibus hiis. Erp. Hunald. Godefrith. Raedulf. Bacca. Dodapa. Volcmer. Daia. Poppica. Thiaduuard. Brun. Poppa. Eica. Eppa. Gela. Hoica. Worad. Wlſheri. . . rza. Azzáca. Euuriza. Ika pbr. Otic pbr. Poppa pbr. Eclef. pbr. Ika pbr. Tiaza diaconus.

XIV. Notum fore uolumus, qualiter quidam uir nomine Randuuard, cum laudatione fratrum suorum Volckieres et Ekkionis, quoddam preedium in Bikuhusun in proprium tradidit ad Paterbr̄. Episcopus uero Meinuuercus ob hoc illis donauit I. equum et II. boues et IIII. solidos denariorum. Huius cause testes sunt. Amulunc comes. Gerbracht comes. Ekkica comes. Herdrad. Reinfrift.

XV. Notum sit omnibus, quendam ex numero fidelium, Ethilierum nominatum, cum suę uxoris uoluntate Wiesuithae, quicquid proprietatis in Diesna habuerat, cum omnibus appendiciis illuc pertinentibus, in edificiis, areis, agris cultis et incultis, pascuis et in siluis, ad dominium sanctę Dei genitricis et perpetuę uirginis Marię et sancti Kiliani martyris sanctique Liborii confessoris, omni contradictione remota, in proprium tradidisse. Vnde Paterbrunnensis ecclesię uenerabilis episcopus Meginuuercus, misericordia motus, eidem I. pallium pro VII. libris, et VI. unicas auri et XVII. libras argenti et IIII. solidos denariorum pro mercede restituit. Huius traditionis testes sunt. Amulunc comes. Brun. Thidier. Hiliuuard. Thancbern. Vnuca. Alfric. Ekuard. Actum Ekuuardinchusun.

XVI. Notum sit omnibus fidelibus, qualiter duo fratres Liudric et Becilinus cum Wicilino, quicquid proprietatis habuerunt in Halogokircan, per uoluntatem domnę Helmburga instissimę heredis, ad dominium sanctę Dei genitricis Marię et S. Kiliani martyris Liboriique confessoris in proprium tradiderunt. Episcopus uero Meinuuercus pro mercede illis restituit IIII. libras denariorum.

XVII. Notum sit omnibus fidelibus presentibus scilicet atque futuris, qualiter quidam bonus christianus Ferthumunt uocatus, cum uoluntate filii sui Alfdeches iustissimi heredis, ad dominium S. Dei genitricis Marię et S. Kiliani martyris et S. Liborii confessoris, XXIII. agros et I. aream in marca Calriki in proprium tradidit. Episcopus Meinuuercus, qui tunc Paterbrunnensi sedi preerat, ad uitam illorum duorum I. mansum in Ouoran Duergian, ea uidelicet ratione, quatinus in natali S. Liborii III. denarios persoluerent, illis concessit. Huius rei testes sunt. Amulunc comes. Thiedric. Sicca. Bennaca. Godica. Volcherd. Sicca. Poppo. Ekkica. Liudbran. Rōtbald.

XVIII. Notum sit omnibus, quendam fidelem Aethelherd nominatum, cum sui iustissimi heredis Liuican assentatu et uoluntate, I. houam in marca Listungun cum omnibus appendiciis illuc pertinentibus, in edificiis, areis, agris cultis et incultis, pascuis et in siluis, ad dominium sanctę Dei genitricis Marię et S. Kiliani martyris Liboriique confessoris in proprium tradidisse. Vnde Paterbrunnensis ecclesię episcopus Meginuuercus, misericordia motus, eidem VI. maerc pro IIII. libris pro mercede restituit. Huius traditionis testes sunt. Amulunc comes. Erp. Hosadus prepositus. Mercred. Waldbern. Vnumer. Wanna. Thiaduuard. Hizza.

<sup>5)</sup> Die vita Meinw. schreibt diesen Namen Godica.

<sup>6)</sup> Die vita Meinw. schaltet hier noch ein: in Heleckieressun X. aratra, in Baduellun V. et dimid. in Bodekerithorpe VIII. in Cuadian X. in Geradessun VII. Es scheint also dem Vf. eine andere als die jetzt noch vorhandene Urkunde vorgelegen zu haben.

XIX. Quidam uir nomine Wlferi, XV. agros in loco qui dicitur Wlfereshusun cum uxore suimet possedit. Qui uidelicet uir, paupertatis nimietate constrictus, illos predictos agros, ad honorem sancte Marie sanctique Kiliani martyris et sancti Liborii confessoris, cum consilio et uoluntate iuste heredis suimet uxor, absque ulla contradictione in proprium tradidit. Tunc episcopus Meinuuercus, per amorem Christi, pro illis XV. agris prenominato uiro I. libram denariorum persoluit.

Huius rei testes sunt. Reinoldus. Tiazo. Beclin. Tadico. Wicil. Disizo. Wino. Luicico. Erp. Osdag.

XX. In istius mundi procellis, Quidam senior nomine Thiatmarus non minimum superbiens, sese cum omnibus humanis quibus potuit ornare non tardauit honoribus. Quodam uidelicet tunc tempore ille predictus iter suimet ad quoddam monasterium Heriuorde nuncupatum dirigens, ibi magnam fecit iniquitatem, sanctorumque ibi requiescentium, sueque sororis abbatissae nomine Godesthi nec non et congregatio-nis sancte Mariæ thesaurum confregit, et inde plus iusto furauit pecunie. Tunc non post longum tempus secundum canonicam constitutionem in synodum ille prefatus uocatus, qualiter apud Deum et apud omnes sanctos suos sese agnosceret, et ut iusta faceret et iniusta derelinqueret ammonitus est. Ista uidelicet ammonitione nimis corde Dei gratia commotus, omnia que eidem essent constituenda libentissime sese pre-dixit adimplere. Nam illi tunc constitutum est episcopo dare XXX. talenta denariorum illud capitale crimen ad emendandum profecto. Illi siquidem tantum peccunie non habente, omne premium quod habuit in Brunincthorpe cum omnibus appendiciis illuc pertinentibus, in mancipliis, in siluis, in aquis, in agris cultis et incultis, cum consensu et uoluntate iustissimi heredis sui Bernhardi ducis atque fratris sui, ad dominium sancte Dei genitricis Mariæ, sanctique Liborii confessoris et sancti Kiliani martyris, pro reconcilia-tione illius peccunie in proprium tradidit.

Si hanc traditionem quisquam studeat infringere, ante conspectum eterni iudicis in die iudicii red-dat rationem.

Illius traditionis testium nomina introducimus. Eius miles. Vda. Heriman comes. Heinric. Rothulf. Engilmer. Vuicman. Nithard. Bernhard comes. Rocilin. Liudier comes. Alfric. Vuega.

XXI. Episcopus Meinuuercus dedit in reconciliationem cuidam uiro nomine Reinhardo et sue conte-stali Ricmode, de quodam predio in Sidiginch. III. libras denariorum et I. familiam in Suinuellun.

Hoc uidebat Gerbrach comes. Ekbracht. Erp. Mercrad. Ecilin. Bennaca. Alfric. Tiamma. Thiaduuard. Hosadus prepositus.

(Auf der Rückseite:) Adhuc autem debet episcopus XXIII. sol.

XXII. Notum sit omnibus fidelibus, quandam domnam ex numero fidelium, Geppe nominatam, de Halthorpe, quicquid hereditatis in Forsti habuit cum omnibus appendiciis illuc pertinentibus, in edificiis, areis, agris cultis et incultis, pascuis et in siluis, ad dominium sancte Dei genitricis et perpetue uirginis Mariæ et sancti Kiliani martyris sanctique Liborii confessoris, cum consensu suorum heredum, omni contradicione remota, in proprium tradisse. Vnde Patherbr. ecclesie uenerabilis episcopus Meginuuercus misericordia motus eidem domine XXV. libras denariorum pro mercede dedit.

Huius traditionis testes sunt. Amulung comes. Erp comes. Godica. Azaca. Volcherd. Liuda.

XXIII. Quedam mulier nomine Mirihild, per suum aduocatum atque heredem Auican, quicquid heredis in Heringi possedit, Mainuuero uenerabili episcopo et suo aduocato in proprium tradidit, pro XII. siclis nummorum et una libra, quod est talentum. Huius tradicionis testes sunt Dodica comes. Ymmid. Brun comes. Bennaca. Reinhard. Acca.

XXIV. Isti fuerunt presentes, quando tradidit ad Paterbrun. Oda, quicquid habuit in Siuuardessun. Cunrad comes. Amulunge comes. Erp comes. Thiedric comes. Franca. Wikin. Vffa. Hermi. Ekbrect. Thiedric. Thiatuuard. Haica. Waldric.

Episcopus Meinuuercus dedit illi XX. solidos denariorum.

XXV. In natali sanctorum martirum Abdonis et Sennetis dedit episcopus Meinuuercus, Bosan et Cri-  
stine et Ebbican sororibus, ob illud premium quod uocatur Thesli. Sidessun. Vffanhusun. Essiberch. Anan-  
roth. Walieressun. Suthem. Erpessun. I. marthrimum pelliz pro VI. tal. et I. zebelinum roc<sup>7)</sup> pro VI. tal. et  
insuper inter aurum et argentum et inter caballos XVIII. talenta.

Istud prescriptum premium Dux Bernhardus, annuentibus et postulantibus duabus prenominatis soro-  
ribus, ad altare Sancte Marię et sancti Kiliani martiris Liboriique confessoris, omni contradictione procul  
remota, in proprium tradidit. Illius traditionis sunt testes. Amulung comes. Bernhardus comes. Ekkica  
comes. Prepositus Nithing. Decanus Haica. Werinza presbiter. Tamma. Heriman. Item Heriman. Item Heri-  
man. Tiamma comes et eius miles Godica. Bennaca. Prepositus Ramuuard. Wacilin. Meinuuerc. Brun. Erp.  
Cona. Hunald. Godefrid. Osuuald. Geba. Meinza. Volcherd. Tiamma. Vda comes. Benna comes. Heriman  
comes. Reinuuard. Wega. Frederic. Berding. Gerbracht.

Quedam domna nominata Oda,<sup>8)</sup> cum assentatu sue matris Bechthilda et suimet filii Gerhardi et  
Thietbaldi, I. familiam et LX. agros ad altare sancte Dei genitricis Marię et sancti Kiliani martiris Libori-  
que confessoris in Asopo proprię tradidit. Episcopus autem Meinuuercus, non inmemor illius traditionis,  
II. plena talenta et dimidium tal. dedit illi, et ad finem sue uite et filiorum eius Gerhardi et Thietbaldi,  
in Paterbrunnen unam domum cum XXX. agris eis tribuit.

Hec autem traditio in natali Jacobi apostoli in Paterbrunnen facta est.

XXVI. Episcopus Meinuuercus dedit cuidam mulieri nomine Wennikin, et matri eius Hamoda, et  
aduocato earum Tadicam, I. caballum et II. boues et I. uaccam et II. libras lane, pro XXIII. agris et pro  
I. area in Hilimeri.

XXVII. Episcopus comparauit ad Tiedricum et ad suam vxorem Geppam in Gosleri II. familias in  
Lanchel, cum VII. uncis auri et III. libris denariorum. Amulunc fecit traditionem. Hoc uidebat Benna  
comes. Vda comes. Hecil caluus.

(Auf der Rückseite:) De predio Tiedrici et Wicles.

XXVIII.<sup>9)</sup> Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus, quod quidam Cuno Patherbrunnensis  
ecclesie ministerialis pro decima sui predii in Adanun, preposito Winone et ceteris fratribus maioris ecclesie  
consentientibus, annis singulis decem malder in uillicationem Silikensothe, fidelium amicorum suorum ro-  
gatu persoluere promisit, promittendo confirmauit. Hec autem acta sunt coram his testibus. Winone pre-  
posito. Bernhardo decano. Godescalco. Reinberto. Esico. Cunrado preposito cum reliquis fratribus et mini-  
sterialibus ecclesie. Vfone. Hugone. Manegoldo. Heinrico. Volberto. Altmanno. Adelberone. cum aliis multis.

XXXIX. Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus, qualiter Digga, quicquid proprietatis ha-  
buit in . . . durpe, cum coniuge sua, sancte Marię uirginis et sancto Kiliano martyri sanctoque Liborio con-  
fessori, ad prebendam fratrum in Paterbrunnun, per suum aduocatum Widikin, in manum nostri aduocati  
Theoderici tradidit, et ipse hoc modo sue utilitati consuluit, ut per singulos annos duas fersingas porcinas  
et X. maldra . . . de parte prepositi sibi darentur. Quod huiusmodi ratum esse stabiliuit, ut si quis hec  
infringere uoluerit, per annum habeat licentiam proclamandi, et post annum si auditus non fuerit, sua  
recipiendi. Cuius rei testes infra notamus. Widikin comes. Thiederic comes. Hildelec comes. . . . Aescic.  
Annica. Mainwerc. Poppa. Reinhard. Poppa. Sihard. Reinmar. Wil. . . Aebbic. Hunika. Wiza. Liuthard.  
Rotdag. Eilhard. Walika. Mila. Heriman. . . . Wiga. Waldbreth. Thiederic. Aescolf. Bernhard. Fritheric.  
Ramward.

<sup>7)</sup> Die Vita Meinw. hat dafür tunicam.

<sup>8)</sup> Diese, auf die Rückseite der vorigen geschriebene Tradition, wird in der vita Meinw. der folgenden nachgesetzt.

<sup>9)</sup> Diese und die folgende Tradition sind in der vita Meinwerci nicht erwähnt; es ist daher ungewiss, ob sie in diese Zeit,  
oder in welche Zeit sie gehören.

XXX.<sup>10)</sup> Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus, qualiter Cunigunda per aducatum suum Gisibertum cum consensu et laude sororis et iustissime heredis sue Bertrę quicquid in pago Almanga et in villa Brenkiun et in Vuithi et in Spurca hereditario iure possedit, sanctę Dei ecclesię in Patherbrunnon ad prebendam fratrum tradidit, legauit, concessit, in agris cultis et incultis, mancipiis nuptis et innuptis, pratis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, molis, molendinis, piscationibus, siluis, uiiis et inuiis, quesitis et inquirendis, exitibus et redditibus, et cum omnibus iure ibi pertinentibus, ea uidelicet ratione, ut sibi suoque aduocato XV. librę in precariam quamdiu uiuerent concederentur in decimis et mansis. Insuper etiam duos mansos in Humbergehusun eidem ecclesię contulit pro sua suorumque memoria, eo pacto ut fraternitas et prebenda iugiter ei concederentur habenda. Pepigit quoque eadem Cunigunda cum hęc nobis tradidisset, ut Radulff beneficium suum in Stalpo et Wisil suum per totam uitam suam secundum morem et consuetudinem familie nostre ecclesię obtinerent, nisi forte pro peccato aliquo iure in iudicio familie amitterent. Idem ius in reliquis ministris quos ipsa dedit habeatur. Quod si hęc pactio fuerit fracta, ipsa tollat sua et nobis reddantur nostra. Huius rei testes sunt hi. Bernhard comes. Meinbold. Albo. Azo. Thiatmar. Thiathard. Reinfrid. Waltere. Alueric. Frethebolt. Hizil. Meinhard. Ruothulf. Helmdag. Wizil. Walderic. Bodo. Vdo. Heinric. Helmeric. Wicman. Werin. Werinheri. Hoico. Hamuco. Admund. Heio. Tammo. Godefrit. Adelgar. Heinric. Hunico. Beringer. Benno. Walbraht. Hunir. Abichin. Acelin. Arnust. Abbelin. Niso. Poppo. Wilbraht. Thiaza. Tiemma. Wichart. Asceco. Aica. Boso. Rantwic. Racico. Rodbraht. Bernhart. Wernizo. Thiadbolt. Meinbold. Folcmar. Thiederic. Rocbraht. Adechin. Azechin. Haico. Dodicho. Eppo. Aluico. Menger. Tiederic. Hibo. Liudbrath. Tiaza. Wezil. Tiaza. Hamiza.

### LXXXVIII.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator augustus. Si aeccliarum Dei sublimationibus omni studio || inseruimus, aeternae retributionis premia nobis affutura esse speramus. Quapropter omnium fidelium Christi presentium scilicet ac futurorum nouerit uniuersitas, qualiter Meinuuerccus sanctae Paterbrunnensis aeccliae venerabilis episcopus, omnia predia quae hereditario iure possederat matri suae Adalae contradidit. Dehinc ipsa cum manu mariti et aduocati sui Balderici comitis, consensu etiam heredum, eadem predia potestatiue nobis donauit. At nos perpetuae beatitudinis spe ac pia prefati episcopi dilectique nepotis nostri, qui se omniaque sua diuino seruicio mancipare gaudet prece et deuocione commoniti, predia eadem legitime nobis tradita, inter quae principales Cortes sunt istę. Immideshusun. Walmontem. Hauurlon. Hukilhem. Mandelbiki. Golthbiki. Doddonhusun. Hokinnesleuo. Wakeresleuo. Cum appertinentibus nullis, mancipiis utriusque sexus, siluis, uiiis et inuiis, exitibus et redditibus, molendinis, piscationibus, pascuis, uenationibus, quesitis et inquirendis, omnibusque utensilibus quae quolibet modo uel nominari possunt, sanctae Paterbrunnensi aeccliae in honorem sanctae Dei genitricis Mariae sanctique Kiliani martiris ac beati Liborii confessoris constructae, per hanc imperiale paginam largimur, omnium hominum contradictione remota. Insuper etiam imperiali auctoritate precipimus, ut nulla maior minorue persona aliqua iudiciaria potestate in eisdem prediis se intromittat, nisi aduocatus quem eiusdem aeccliae episcopus sibi eligat. Si quis autem, quod absit, hoc nostrarę donacionis preceptum infringere ausus fuerit, centum libras auri persoluat, L. eidem aeccliae, et L.

<sup>10)</sup> Diese, in der vita Meinw. nicht erwähnte Tradition, findet sich in dem älteren Copiario des Domstifts zu Paderborn, Nr. L., zwischen Urkunden aus der Zeit des Bischofs Meiwerk, und wird deshalb hier angeschlossen, obgleich der Name dieses Bischofs in derselben nicht genannt wird.

nostrę camere. Et ut haec nostrae largicionis auctoritas firma et inconulsa permaneat, hoc preceptum inde conscriptum manu propria corroborantes sigillo nostro iussimus insigniri.

*Signum Heinrici Romanorum inuictissimi (L. M.) imperatoris.*

*Guntherius cancellarius uice Ercambaldi archicappellani recognouit.*

Data IIII. Idus Jan. Indictione XIII. Anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>XVI. Anno uero domni Heinrici secundi regnantis XIII. Imperii autem II<sup>o</sup>. Actum DRODMANNIA. FELICITER. AMEN.

Es finden sich noch Ueberreste von schmalen Lederriemchen, mit welchen das Siegel, wahrscheinlich also ein Metallsiegel, angehängt gewesen.

### LXXXIX.

*Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn.*

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. Ecclesias Christi ampliare seruorumque eius necessitatibus pie ac clementer subuenire imperialis promotionis ordo depositit. Proinde fidelium Christi nouerit industria, qualiter diuino instinctu ammoniti, et interuentu dilectissimae coniugis nostrae Cunigundae imperatricis augustae, in id ipsum fraterna caritate collaborantibus Heriberto Coloniensi archiepiscopo, Theoderico Mimegardeuordensi, Adelbaldo Traiectensi, Theoderico Metensi, Wiggero Verdensi, Thietmaro Ossenbrugensi, Erico Hauelbergensi, sanctae Patherburnensi aecclesiae in honorem sanctae Dei genitricis Mariae sanctique Kiliani martyris et sancti Liborii confessoris constructae, cui etiam Meinuerchus uenerabilis episcopus presidet, quandam nostram curtem Moronga dictam, in pago Morongano in comitatu Bennonis comitis sitam, quam nobis Vnouuanus Bremonensis archiepiscopus cum manu aduocati sui Vdonis tradidit, omnium hominum contradictione remota, pro remedio animae senioris nostri terci Ottonis diuae scilicet memoriae imperatoris augusti, et incolumitate uitae nostrae praesentis ac spe futurae, per hanc imperiale paginam concedimus atque largimur, cum omnibus appendiciis, areis, uillis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, punctionibus, molendinis, siluis, uenationibus, cunctisque qualicunque modo nominari possint utensilibus, ea uidelicet ratione ut predictus Meinuerchus episcopus eandem curtem quamdiu uiuat in usus proprios potestatiue possideat, post finem uero uitae suae ad uestitum canonicorum in eadem Deo sanctaque genitrici eius Mariae nec non beatis Kiliano ac Liborio seruientium annuatim meliorandum pertineat. Si quis uero hanc nostram donationem infringere presumpserit, centum libras auri persoluat, L. eidem aecclesiae, L. uero nostrae camerae. Et ut haec nostrae liberalitatis auctoritas stabilis et inconulsa permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria roborantes, sigillo nostro iussimus insigniri.

*Signum domni Heinrici imperatoris inuictissimi. (L. M.)*

*Guntherius cancellarius uice Erchanbaldi archicappellani recognoui.*

Data IIII. Id. Januar. Indictione XIII. anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>XVI<sup>o</sup>. anno uero domni Heinrici secundi regnantis XIII. Imperii autem II. Actum Drodmannia feliciter AmeN.

### XC.

*Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn.*

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. Tribunal animae dilatamus, si ecclesias Christi cum sibi subiectis ampliamus. Qua de re fidelium Dei uniuersitati pateat, quod hac intentione, interuentu dilectissimae contectalis nostrae Cunigundae imperatricis augustae, nec non et Heriberti archiepiscopi Coloniensis, Adalbaldi Traiectensis, Theoderici

Mimigardeuurdensis, Theoderici Metensis, Wiggeri Verdensis, Thietmari Osenburgensis, Erici Huelbergensis, sanctae Paderburnensi aecclesiae, in honore sanctae Dei genitricis Mariae sanctique Kyliani martyris et sancti Liborii consecratae, cui etiam Meinuercus uenerandus episcopus presidet, quandam curtem nostrae proprietatis Berneshusen dictam, in pago Lisga in comitatu Vdonis sitam, quam ab Vnuano Bremonense archiepiscopo donante, et per aduocatum suum Vdonem legitima traditione accepimus, pro remedio animarum diuae memoriae donante, et per aduocatum suum Vdonem legitima traditione accepimus, pro remedio animarum diuae memoriae Ottonis imperatoris tertii, senioris scilicet nostri, et incolomitate uitae nostrae utriusque presentis uidelicet ac futurae, coniugisque nostrae dilectissimae, nec minus pro stabilitate regni, proprietario iure concedimus, cum omnibus appertinenciis, rebus, territoriis, uillis, mancipiis utriusque sexus, siluis, uenationibus, aquis aquarumue decursibus, molendinis, punctionibus, uiis et inuiis, exitibus et redditibus, pratis et pascuis, et cum omnibus acquisitis uel inquirendis, Ea ratione ut prenominatus episcopus eiusque successores libera ram potestatem in eiusdem aecclesiae utilitatem uertendi habeant. Si quis autem in posterum, quod absit, prefatam aecclesiam inquietare contendat de eisdem prediis, perpetuo anathemate condempnetur. Insuper C. libras auri optimi componat, dimidiatatem regiae camerae, et reliquam partem eidem aecclesiae quam inquietare presumpsit. Et ut haec nostrae traditionis auctoritas stabilis et inconulsa permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria roborantes, sigillo nostro iussimus insigniri.

*Signum domni Heinrici imperatoris augusti. (L. M.)  
Guntherius cancellarius vice Erkenbaldi archicapellani recognouit.*

Data XVIII. Kal. Febr. Indictione XIII. Anno domin. incarn. M<sup>o</sup>.XVI<sup>o</sup>. anno uero domni Heinrici secundi regnantis XIII. Imperii autem secundo. Actum. Drodmanniae.

## XCI.

*Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn. \*)*

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator augustus. Diuinae pietatis clemencia quae nos ad culmen Imperialis maiestatis perduxit, ad hoc uoluit regnare, ut aecclesiarum ordini firmando atque corroborando subueniamus, hiis autem maxime locis, quae ab antecessoribus nostris regibus uel imperatoribus fundata, sed iam peccatis exigentibus pene uidebantur annulata. Qua propter omnium fidelium nostrorum presentium scilicet ac futurorum industriae notum esse uolumus, qualiter nos diuini amoris instinctu, pro remedio animae nostrae seu parentum nostrorum, nec non et tertii Ottonis bona memoriae imperatoris, dilectaeque coniugis nostrae Cunigundae imperatricis augustae interuentu, atque Meginuuerc sanctae Padrebronnensis aecclesiae uenerabilis episcopi rogatu, sibi sanctaeque sua aecclesiae a Karolo magno imperatore olim fundatae, nostris uero temporibus incendium passae, in honore enim sanctae Dei genitricis semperque virginis Mariae et sancti Kiliani martiris Liboriique confessoris dedicatae, Comitatum quem Hahold comes dum uixit tenuit, situm scilicet in locis Hauerga, Limga, Thiatmalli, Aga, Patherga, Treueresga, Langaneka, Erpesfeld, Silbike, Matfelt, Nihterga, Sinatfelt, Balleuan prope Spriada, Bambiki, Gession, Seuuardeshuson, cum omni legalitate in proprium concedimus atque largimur per hanc nostram imperiale paginam, eo uidelicet racionis tenore, ut prefatus episcopus Meginuuerc suique successores prescriptae aecclesiae presidentes dehinc liberam habeant potestatem de eodem comitatu eiusque utilitatibus quicquid eis placuerit faciendi ad eorum tamen utilitatem aecclesiae, Omnia uidelicet inquietudine remota. Et ut haec nostrae tradicionis seu confirmationis

\*) Von dem Originale sind nur noch Bruchstücke übrig.

auctoritas stabilis et inconcussa omni habeatur tempore, hoc preceptum inde conscriptum manu propria firmare curauimus et sigillo nostro insignire iussimus.

*Signum domni Heinrici Imperatoris augusti (L. M.)*

*Guntherius cancellarius uice Erkinbaldi archicapellani recognoui.*

Data XVIII. Kal. Febr. Indict. XIII. Anno dominicae incarnationis Millesimo XVI. anno uero domni Heinrici secundi regnantis XIII. Imperii II.

## XCII.

*Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn.*

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator augustus. Omnium Christifidelium industria nouerit, qualiter nos diuini amoris respectu, et dilectissimae coniugis nostrae, qui duo sumus in carne una, Cunigundae uidelicet imperatricis augustae rogatu et instinctu, sanctae Paterbrunnensi aecclesiae in honore sanctae Dei genitricis Mariae et sancti Kiliani martiris sanctique Liborii ter beati confessoris dedicatae, tale preedium proprietauimus, quale nobis omnium hominum contradictione remota tradidit Hemicus, uidelicet in comitatu Herimanni comitis in Dulmine mansum unum, in Nienhem mansum I., in Situnne mansum I., Halostron mansum I., in Berthalostron mansum I., in Lembke mansum I., in Horlon mansum I., in comitatu Ottonis comitis in Eluepo mansum I., in Ricoldinchuson mansum I. cum L. manciipiis utriusque sexus, areis, uillis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, piscationibus, molendinis, siluis, uenationibus et omnibus appendiciis cunctisque qualicumque modo nominari possint utensilibus, Ea scilicet ratione, ut uterque nostrum tam uestitura quam uictu stipendiale amodo ab episcopo sedis subscriptae, nunc uero a domno Meginuerco presule et post a successoribus ipsius, communi canoniconum consensu, cum perpetua orationum participatione, plenarie inibi sicut unus fratum accipiat et potestatiue possideat. Et ut haec traditio nostrae liberalitatis stabilis et inconcussa permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria roborantes; sigillo nostro subter bullari iussimus.

*Signum domni Heinrici Romanorum inuictissimi Imperatoris augusti. (L. M.)*

*Guntherius cancellarius uice Archambaldi archicapellani recognouit.*

Data III. Id. Junii, Indictione XII. anno dominicae incarnationis M.XVII. anno uero domni Heinrici secundi regnantis XVI. Imperii III. Actum Patherbrunnon.

## XCIII.

*Aus dem Kopialbuche des Bistums Paderborn.*

In nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus. Canonum statuta non ore hominum sed spiritu Dei condita precipiunt, ut Episcopi frequenter claustra monachorum uisent, et si qua extra regulam illic inuenient, abscidant et corrigan. Haec uigilanter interius contemplantes, et in huius uitae itinere onera nostra episcopis imponendo leuigantes, caritatis causa, sine qua diues pauper est, cum interuentu amantissimae coniugis nostrae Cunigundae uidelicet Imperatricis augustae, cum archiepiscoporum Erchanbaldi Moguntinensis, Popponis Treuerensis, Geronis Magedeburgensis, Unwani Bremensis, et episcoporum Arnoldi Haluerstadensis, Epponis Babenbergensis, Theoderici Mettensis, Heinrici Wirceburgensis, Theoderici Mimigardeurdensis, Heinrici Parmensis, Theoderici Mindensis, Thiemonis Mersburgensis, Erici Hauelbergensis, Laicorum quoque, Bernhardi ducis, Sigifridi atque Ezziconis comitum, Abbatiam nomine Helmwardeshusen, cum omnibus suis appendiciis mobilibus et immobilibus, sedi Paderbornensi in honore sanctae Mariae sanctorumque Kyliani atque Liborii constructae, cui insignis acquisitionis

presul Meynwerchus in presentiarum preest, in proprium dedimus, nostroque iure et dominio in ius et dominium ipsius amodo potestatue et iuxta regulam sancti Benedicti episcopaliter disponendam atque possidem tradidimus. Et ut haec nostrae traditionis pagina firma et inconulsa permaneat, manu propria corroborantes atque confirmantes, sigilli nostri impressione subter eam sigillari iussimus.

*Signum domini Heinrici inuictissimi Romanorum Imperatoris Augusti. (L. M.)  
Guntherius cancellarius vice Erchanbaldi archicappellani notauit.*

Data V. Idus Julii, Indictione XII. anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>. XVII<sup>o</sup>. anno uero domni Heinrici secundi regnantis XVI<sup>o</sup>. Imperii IIII<sup>o</sup>. Actum Lietzo.

\* \* \*

Wahrscheinlich auf diese oder eine verwandte Angelegenheit, bezieht sich folgende, im Original auf einen schmalen Pergamentstreif geschriebene Notiz:

Hi sunt testes. Thietmer. Ekkica. Ludier. Ekkica. Raedig. Vualhem. Vuidukin. Benna. Kiza. Amulag. Volbal. Thietmer. Immed. Gerbraht. Vuiking. Thiedric. Ibo. Aeica. Heriuuard. Burchard. Dodica. Tiaza. Vretheric. Lefherd. Eschulf. Oua. Uuidula. Fronca. Heriman. Thiaza. Boua.

Episcopus Thieodericus.

Dux Bernhardus.

De abbatia Helmuardesh.

#### XCIV.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. || Nouerit omnium Dei fidelium nostrorumque tam presentium quam subsequentium industria, qualiter nos interuentu dilectae coniugis nostraræ CVNIGVNDAE uidelicet imperatricis augustae, fideliumque nostrorum, Popponis Treuerensis archiepiscopi, Erkanbaldi Mogontini archiepiscopi, Eberhardi Babenbergensis episcopi, Adelbaldi Trajectensis episcopi, item Popponis abbatis Vultensis, Godefridi ducis, Bernhardi ducis, Becelini comitis, aecclesiae Paterbrunnensi, cui venerandus episcopus Meinwercus nostraræ uidelicet seruitutis paratissimus presidet, sub honore agiae Dei genitricis Mariae sanctique martiris Kiliani nec non et beatissimi confessorum sancti Liborii episcopi constructae atque dedicatae, tale preedium quale Willa per manum nobis dedit et consensum coniugis et aduocati sui Ottonis, in loco Siburgohusun nominato, in comitatu Vdonis comitis, in pago Hemmerueldun, cum omnibus pertinentiis suis, possessionibus, mancipiis utriusque sexus, agris, aedificiis, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, pratis, pascuis siue compascuis, molendinis, piscationibus, siluis, viis et inuiis, cunctisque quesitis uel inquirendis, in proprium iure perenni tradidimus. Et ut haec tradicio precepti nostri firma et inconulsa permaneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria corroborantes sigilli nostri subterbullari iussimus impressione.

*Signum domini Heinrici Romanorum (L. M.) inuictissimi Imperatoris Augusti.*

*Guntherius cancellarius vice Ercambaldi archicappellani recognouit.*

Data I. Id. Apr. Indictione I. Anno dominicae incarnationis Millesimo XVIII<sup>o</sup>. anno uero domni Heinrici secundi regnantis XVI. Imperii autem V. Actum Nouiomago. \*)

Der Urkunde war, mit ledernen Riemen, wahrscheinlich ein Bleisiegel angehängt, das aber verloren gegangen.

\*) Der Monatstag und Ausstellungsort sind später mit anderer Tinte eingetragen. Zwischen den beiden letzten Worten war ursprünglich ein grosser Zwischenraum, welchen eine viel jüngere Hand mit dem unverständlichen Worte TRITILE ausfüllt hat.

## XCV.

In nomine patris et filii et Spiritus sancti. Dodico comes peccaminum suorum atque humanae fragilitatis memor, ac diuina ammonicione compunctus, pro remedio et commemoratione animae suae, ad altare et ad seruicium sanctae Dei genitricis Mariae et sancti Kiliani martiris et sancti Liborii eonfessoris, cum consensu matris suae uidelicet Hildigundae heredis suae primitiae, fratrisque sui Sigobodenonis assensu et asstipulacione, suum preedium tradidit in proprium in his locis quorum nomina hic subsequuntur. Vuarterhgi. Rainlefessun. Erungun. Radi. Radi in superiori Vuurmlahun. Rohthem. Garametti. Roduuardeshusun. Illandehusun. Silihem. cum agris cultis et incultis, siluis, aquis aquarumue decursibus, pratis, pascuis, nec non cum utriusque sexus mancipis et cum omnibus ad haec loca pertinentibus appendiciis, uidelicet octo molendinis, ceterisque quae adhuc nominari queunt uel nequeunt et tamen in eis sunt uel fieri possunt utilitatibus, exceptis ministerialibus eius hominibus, Eilbehr, Randuuigh, Acilin, Gela, Doda, Hoika, Mainza, Tamma, Hibuke, Hizule, ceterisque mulieribus iam ad geniceum eius assumptis non ulterius assumendis. Ea ratione atque paccione interposita, ut dum Deo iubente monasterium Paterbrunnense maneret incolume, pro eodem Dodicone sacerdoti atque diacono et subdiacono cotidie publicam missam celebrantibus stipendialis refocilacio quae conuenit uni eiusdem ecclesiae fratri constipendiali dari daretur. Sin autem ab episcopo uel preposito pubblica missa celebraretur, eadem eius stipendialis refocilacio pro animae eius remedio inter duodecim egenos diuidetur. Cum uero idem comes Dodico, diuina sic disponente prouidencia, huius uitae terminum transiret, in omnigena commemoratione quam pro eiusdem monasterii episcopo agere consuetudo est, pro eodem comite Dodicone celebrari debere. Videlicet in missarum et salmorum celebracionibus, luminorumque incendiis, eulogiarumque donacionibus, centenorumque pauperum refocilationibus, et in omnibus quae in episcopi eiusdem loci annuali depositionis die conuenit facere. Hac tradizione et paccione peracta ante altare sanctae Dei genitricis Mariae, dominus episcopus Mainuuercus cum suo aduocato Amulungo pro eodem predio in precariam eidem Dodiconi prestitit quicquid in Desburg, Astnederi, Vuestnederi, Dalpanhusun, Dueriun, Vflahun, Rasbiki, Silihem, Yueplithi, ad ecclesiam Paterbrunnensem proprietatis pertinebat, atque eandem traditionem, quam idem comes Dodico ad altare sanctae Mariae tradidit, ut utrumque, dum ipse uiueret, traditionis atque precariae usu fructus uteretur, illo autem mortem obeunte, in integrum precaria et tradicio ad supradictam Paterbrunnensem ecclesiam restitueretur, similiter exceptis tribus ministerialibus uiris, Tiazone, Bennone, Mainzone, ac duabus familiis in Yueplithi habitantibus et ad Heristelli pertinentibus, quas ei in precariam non concessit. Haec autem tradicio tali tenore atque interdictione facta est, ut si isdem episcopus uel aliquis eius successor de precaria uel paccione, eodem Dodicone uiuente, infringere voluerit, isdem Dodico supradictum preedium recipiendi licenciam habeat. Huius rei testes sunt. Sibodo. Immed. Sibehrt. Thiatmar. Bernhard. Amulung. Bernhard. Erp. Ailbrat. Volcpold. Kono. Roduuard. Haika. Hagervuored. Helmuure. Alfric. Mainheri. Ratheri. Vuiking. Adalbart. Imuka. Asman. Folcmar. Hiddi. Becilin. Vual. Vuidier. Vffa. Hunald. Thiadmar. Hiriman. Frithuric. Rainhald. Hiriman. Redald. Hildiuuard. Asdag. Acca. Bacca. Vnaca. Aica. Asic. Redig. Imuca. Mainbald. Duda. Tamma. Thiadmar. Isger. Hardered. Mainuuerc. Hiriman. Oua. Hamaca. Heiluuard. Frithuric. Godescalc. Vuluered. Vualdhard.

Das aufgedruckte, kleine, runde Siegel zeigt ein weibliches verschleiertes Brustbild mit der Umschrift: Sca. Di. Genetrix Maria. † (Es scheint das, sonst weiter nicht bekannte, Siegel des Bischofs Meinwerk zu sein.)

## XCVI.

Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn.

Quidam comes nomine Sygobodo suaque contextalis Windilmod nuncupata, peccaminum suorum atque humanae fragilitatis non immemores ac diuina inspiratione ammoniti, pro remedio et suarum com-

memorazione animarum nec non suorum parentum, ad altare sanctae Dei genitricis Mariae et sancti Kiliani sanctique Liborii confessoris, cum consensu iustissimae heredis Hildigundae, unam curtem quae nominatur Liudoluingerod cum omnibus utilitatibus ad prenominatam curtem pertinentibus, mancipiis utriusque sexus, agris cultis et incultis, pascuis, pratis, siluis, aquis aquarumue decursibus, omnibusque utensilibus quae nominari queunt uel nequeunt in proprium tradiderunt. Hac uidelicet tradicione in presencia Imperatoris Heinrici firmiter peracta atque ante altare Dei genitricis cognoscendo reiterata, dominus Meinuuercus episcopus cum suo aduocato Amulungo quoddam premium quod nominatur Curbiki cum sedecim familiis et una molendina pro eadem curte eidem Sygobodoni atque Wendilmodi in precariam prestitus, ut quamdiu uterque uiueret, precariae usu fructus uteretur. Illis autem obeuntibus, in integrum precaria ad prenotatum altare restitueretur. Haec itaque tradicio tali tenore atque interdictione facta est, ut si isdem episcopis uel aliquis sui successor de precaria eisdem uiuentibus infringere uoluerit, supradictam curtem recipiendo licenciam habeant. Huius tradicionis paucos ex pluribus testes introducamus. Dodico comes Bernhart. Brun. Amulung. Asic. Beclin. Kono. Imuka. Sicca. Sicca. Hemuca. Dodica. Oua. Alfric. Meinherr. Thiatmar. Engilmar. Hiriman. Kraht. Hiriman. Riedag. Kobbo. Erdag. Waldric. Wikinc. Bette. Brun. Wicman. Isger. Thiadric. Ecbehr. Brunhart. Boua. Hiridag. Eika.

## XCVII.

Aus dem Liber quorundam privilegiorum etc. des Klosters Liesborn.

In nomine sancte et indiuiduę Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum imperator augustus. Ubi ecclesiarum uenerabilia loca a nostris predecessoribus nobiliter adacta, ut in suo uigore persistant, nostra auctoritate sanc̄imus, ab omnipotente Deo, quem in suis sanctis honoramus, eterne retributionis premium recipere fideliter et ueraciter speramus. Quocirca sancte Dei ecclesię omniumque fidelium nostrorum presentium uidelicet et futurorum uniuersitati uolumus pateat, qualiter Thiedericus sancte Mimigardeuordensis ecclesię uenerabilis episcopus, nostre celsitudinis adiit clementiam, petens ut suę ecclesię per nostri precepti paginam concederemus et confirmaremus unam abbatiam Liesbern nominatam, quam antea prefata Mimigardeuordensis ecclesia habere uidebatur etsi sine scripto, sitam in pago Dreni ac in comitatu Herimanni comitis. Cuius peticionibus ut iustum est annuentes, interuentu etiam ac petitione Cunigunde imperatricis auguste nostreque contextalis dilectissime, aliorumque fidelium nostrorum qui inibi presentes fuerunt, Euerhardi Bauenbergensis et Meinwerki Podilbrunnensis, Adalboldi Traiectensis episcoporum, ducisque Godefridi, per hanc nostri precepti paginam, prelibatę sedi episcopalı sibique suisque successoribus in perpetuum confirmamus et corroboramus, ut in prescripto loco Liesbern dicto nostra imperiali auctoritate dehinc liberam facultatem seruitum Dei ordinandi penes diuinum amorem atque timorem. Preter hec etiam de aduocatis in predicto loco episcopis liceat agere et ordinare secundum eorum uoluntatem aduocationem in ipsorum militia, iuxta quod illis melius uisum fuerit ad utilitatem ecclesię pretitulatę. Et ut hec nostre preceptionis auctoritas omni tempore stabilis et inconualsa permaneat, hanc paginam manu propria confirmantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domni Heinrici serenissimi et (L. M.) Guntarius cancellarius uice Archenbaldi  
inuictissimi imperatoris augusti. archiepiscopi et archicapellani recognouit.*

Datum anno dominice incarnationis M. XIX.\* ) indictione II. anno domni Heinrici regnantis XVIII.\*\*) Imperii uero eius VI. XVII. Kal. Aprilis. Actum Goslarie feliciter.

\*) Ursprünglich hat da gestanden: M. VII. es ist aber auf obige Weise corrigirt.

\*\*) Das letzte I. in dieser Zahl scheint von jüngerer Hand beigefügt.

## XCVIII.

**C.** In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator augustus. Quoniam predecessores nostros reges uel imperatores operatos || esse in summo capite quod est Christus non ignoramus, quos scimus in eius membris per fidem operatos haberi augmentando aecclesias Deo vel sanctis sacras, et pro ea ipsa re aeternae recompensationis premia adeptos fore, non secus si sanctam Dei aecclesiam ad honorem sanctorum suorum crescere et multiplicare donis uel augmentis studuerimus, perpetuae remunerationis exultationem nos nancisci speramus. Quapropter vniuersali ecclesiae praesenti videlicet et futurae manifestum esse optando desideramus, qualiter Meginuerchus Paterbrunnensis episcopus, nostrae imperiali excellentiae dilectissimus, sublimitatem nostram conuenit, postulans aecclesiae suae vnam Abbatiam Sceldice vocatam dari, cuius continua petitionibus non inmerito fauentes, interuentu Chuningundae imperatricis nostrae videlicet dilectissime coniugis, episcoporum quoque Geronis, Unuani, Arnoldi, Dietrici, Hiltiuardi et Erici, optimatumque nostri regni, Pernhardi ducis, Sigifridi comitis, Herimanni et Eggihardi consilii ventilatione, supradictam abbatiam sitam in pago Wessaga et in comitatu Friderici comitis sibi nec non suaec aecclesie Paterbrunnensi suisque successoribus omni concedimus iure deinceps possidendam. Ut uero haec precepti pagina stabilis et inconuulta futuris vel presentibus temporibus permanere ualeat, propriae manus cautione firmamus, et nostri sigilli impressione ratum ducentes signari iussumus.

*Signum domini Heinrici serenissimi (L. M.) et inuictissimi imperatoris.  
Guntherius cancellarius uice Erchanbaldi archicapellani recognouit.*

Datum anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>. XVIII. Indictione II. anno domni Heinrici regnantis XVII. Imperii uero eius VI. XIII. Kal. Apr. Actum ad Gosilare feliciter Amen.

Das Siegel ist spurlos verloren gegangen.

## XCIX. \*)

**C.** In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. Ubiunque sancta Dei loca bonis nobis || a Deo donatis extollimus, non solum uitae nostrae longanimitatem, uerum etiam regni nos prosperitatem augere speramus. Quapropter nouerit omnium Christi nostrorumque fidelium uniuersitas, qualiter nos pro remedio animae nostrae antecessorumque nostrorum, nec non pro salute dilectae coniugis nostrae CVNIGVNDAE imperatricis uidelicet augustae, atque per interuentum Geronis Magedeburgensis archiepiscopi, Döticonisque comitis, quandam nostrae proprietatis forestim in comitatu eiusdem Döticonis sitam, quae terminum iuxta fluuiolum Fulda nominatum sumens prope Reginhereshuson et Utenuhuson atque Biberbach et Rötbretheshuson in quoddam flumen Vvisera uocatum usque protenditur, inde sursum directa quandam uillam nomine Gimundin attingit, abinde circulum prosecuta iterum in Fuldam et sic sursum usque iam predictam uillam scilicet Reginhereshuson pergiratur, sanctae Paderbrunnensi aecclesiae, cui uenerabilis et nobis dilectus presul Meinuuercus preesse uidetur, ad altare et reliquias sanctae Dei genitricis Mariae, sanctique martiris et episcopi Kiliani et sancti Liborii confessoris, cum omni utilitate quae ab eadem prouenire ullatenus possit, firmiter et perpetuo habendum

\*) Die Charte hat ziemlich in der Mitte des Textes ein grosses Loch. Die dadurch verloren gegangenen Worte sind aus dem alten, sehr genauen Copiarium ergänzt, so wie dasselbe auch in einigen späteren ähnlichen Fällen geschehen.

tradimus atque concedimus. Et ut haec nostra auctoritas stabilis et inconuulsa permaneat, eam manu propria roborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domni Heinrici Romanorum (L. M.) inuictissimi imperatoris augusti.*

*Guntherius cancellarius uice Erchembaldi archiepiscopi ac archicappellani recognouit.*

Anno dominicae incarnationis millesimo XVIII<sup>mo</sup> Indictione II<sup>da</sup> Anno uero domni Heinrici Romanorum imperatoris augusti secundi regnantis XVIII<sup>mo</sup> Imperii autem VI<sup>to</sup> Actum XVIII. Kal. Januvarii Mulinhuson feliciter AmeN.

Das grosse, zur Seite der Monogramm-Formel auf die Charte aufgedruckte Siegel zeigt den sitzenden Kaiser, wie auf dessen königlichen Siegeln, mit der Umschrift: Heinrichus Di. Gra. Romanorū. Imp. Aug. †.

### C.

C. In nomine sanctae et indiuidue Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Saluberrimis sacri eloquii institutionibus erudimur, || exemplisque religiosorum excellentissimis admonemur, ut temporalia et terrena pro Dei amore donantes commoda, aeterna et sine fine manentia studeamus adipisci bona. Quapropter nouerint omnes Christi fideles presentes scilicet atque futuri, qualiter nos per interuentum spiritalis patris nostri domini uidelicet pape BENEDICTI, dilectissimeque coniugis nostrae Chunigundae, nec non uenerabilis Mogontinensis aecclesiae archiepiscopi Erchanbaldi, dilectissimique nostri Babenbergensis episcopi Eberhardi, Frisingensis quoque episcopi Egilberti, maximeque ob iuge et indecessum seruicium venerandi Meginuuerchi episcopi, ut ille nullius aemuli obprobriis subiaceat, quin plus omnibus nobis seruiens, premia honoresque plures a nobis accipiat, exemplisque nostri emolumenti, alias ad nostrum fidele prouocet seruicium, ad Paderburnensem aecclesiam in honore sanctae Dei genitricis Mariae sanctique Kiliani martyris, nec non sancti Liborii confessoris constructae, cui predictus uenerabilis Mechanuuerchus episcopus preesse dinoscitur, quandam nostri iuris curtem Hammonstedi dictam, in pago Rittega et in comitatu Vtonis comitis sitam, una cum omnibus eius pertinentiis siue adherentiis, in quo cunque pago uel comitatu sita sint, uidelicet eum uicis, uillis, ecclesiis, seruis et ancillis, areis, aedificiis, terris cultis et incultis, uiis, inuiis, exitibus et redditibus, quesitis et inquirendis, siluis, forestibus, uenatiobibus, aquis, punctionibus, molis, molendinis, rebus mobilibus et immobilibus, ac ceteris omnibus quae rite scribi uel quoquilibet modo dici possunt utilitatibus, hac nostrae auctoritatis imperiali pagina donamus ac omnium contradictione remota proprietamus, precipentes ut in Deo dilectus nobis sepe dictus M. episcopus liberam dehinc potestatem, suique successores, eandem curtem Hammonstedi cum omnibus appendiciis suis tenendi, possidendi, seu quicquid sibi inde libeat in usum episcopatus faciendi. Et ut haec traditio nostra ab omnibus incorrupta permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria confirmantes, sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

*Signum domni Heinrici Romanorum (L. M.) imperatoris augusti.*

*Guntherius cancellarius ad uicem Erchanbaldi archicappellani recognoui.*

Data VIII. Kal. Maii, in festiuitate sancti Georgii martiris, Indictione III. Anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>. XX<sup>o</sup>. Anno uero domni Heinrici secundi regnantis XVI<sup>mo</sup> Imperii autem VII<sup>o</sup>. Actum BABENBERC.

Das Siegel war mit schmalen ledernen Riemen angehängt, wahrscheinlich also ein Metallsiegel; ist aber verloren gegangen.

## C.I.

Aus den beiden Paderbornischen Kopialbüchern.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. Si sanctarum Dei aecclesiarum loca bonis nobis a Deo donatis ditando extollimus, non solum uitiae nostrae longanimitatem, uerum etiam regni nos prosperitatem augere speramus. Quapropter nouerit omnium sanctae Dei aecclesiae fidelium nostrorumque uniuersitas presentium scilicet ac futurorum, qualiter nos pro animae nostrae remedio nostrorumque antecessorum, nec non et pro salute dilectae coniugis nostrae Cunigundae imperatricis uidelicet augustae, atque per interuentum Geronis Magedeburgensis archiepiscopi Dūtichonisque comitis, quandam nostrae proprietatis forestim in comitatu eiusdem Dūtichonis sitam, quae inicium sumit de Rothalmingahusun, rectoque tramite protenditur in Vuisaram fluum, sicque ascensum ducit in fluum Fulda dictum,<sup>1)</sup> inde uero continuatim seruat sui ascensus tenorem iuxta eundem fluum Fulde usque in rium qui dicitur Grumelbichi, nec non ad oppidum quod Holthusun uocatur uiam tendit, simul graditur in Othilanham et in Rechinherishusun atque ad Rothiereshusun, mox pergit ad Rikillahusun atque ad Beuerbiki, sicque protenditur in uiam quae tendit<sup>2)</sup> ad Vulfredeskirchun, itemque in alteram uiam quae extenditur ad Gunnesburin et ad Vuicmonneshusun, sicque girando circuit quandam uiam quae peruenit usque ad predictum oppidum Rothalmingahusun, sanctae Paderbrunnensi aecclesiae, cui uenerabilis nobisque dilectus presul Meinuerchus preesse uidetur, ad altare et reliquias sanctae Dei genitricis Mariae sanctique martyris et episcopi Kiliani ac sancti Liborii confessoris, cum omni utilitate quae ab eadem ulla tenus prouenire possit, firmiter et perpetuo habendam tradimus atque concedimus, ac de nostro iure et dominio in eiusdem sanctae Paderbrunnensis aecclesiae ius et dominium transfundimus et delegamus, eo uidelicet ordine, ut nullus episcopum iam dictae aecclesiae eiusque successores de predicta foresti disuestire uel inquietare presumat. Et ut haec nostrae auctoritatis pagina stabilis et inconuulta permaneat, eam manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

*Signum domini Heinrici serenissimi et inuictissimi Romanorum Imperatoris augusti. (L. M.)  
Guntarius cancellarius uice Ercumbaldi archiepiscopi et archicancellarii recognouit.*

Anno dominicae incarnationis Millesimo XXº. Indictione III. anno uero domni Heinrici imperatoris augusti secundi regnantis XVIII. imperii autem VII. Actum XI. Kal. Junii Chōfunga feliciter Amen.

## CII.

XP. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina gratia Romanorum Imperator augustus. Diuinae pietatis clemencia, quae nos ad culmen imperatoriai maiestatis perduxit, ad hoc uoluit imperare, ut ecclesiarum ordini firmando atque corroborando subueniamus. Hiis autem maxime locis, quae ab antecessoribus nostris regibus et imperatoribus fundata, sed iam peccatis exigentibus pene uidebantur annullata. Quapropter omnium fidelium nostrorum presentium scilicet ac futurorum industriae notum esse uolumus, qualiter nos diuini amoris instinctu, pro remedio animae nostrae seu parentum nostrorum, nec non et terciis Ottonis bonae memoriae Imperatoris, dilectaeque coniugis nostrae CHVNIGVNDE augustae interuentu, atque Meginuuerc sanctae Padrebrunnensis ecclesiae uenerabilis episcopi rogatu, sibi sancteque suae ecclesiae a Karolo magno Imperatore olim fundatae, nostris uero temporibus incendum passae, in honore enim sancte Dei genitricis Mariae semper uirginis et sancti Kyliani martiris Liboriique confessoris dedicatae, comitatum quem Dōdico comes dum uixit tenuit, situm scilicet in locis Hessiga, Netga, Nihterga, cum

<sup>1)</sup> Das zweite Copiar.: in fluum qui uocatur Fulda. <sup>2)</sup> ducitur.

omni legalitate in proprium concedimus atque largimur per hanc nostram imperialem paginam, eo uidelicet tenore rationis, ut prefatus episcopus M. suique successores prescriptae ecclesiae presidentes dehinc libera- ram habeant potestatem de eodem comitatu eiusque utilitatibus quicquid eis placuerit faciendi, ad eorum tamen utilitatem ecclesiae, omnium uidelicet inquietudine remota. Et ut haec nostrae traditionis seu confirmationis auctoritas stabilis et inconulsa omni habeatur tempore, hoc preceptum inde conscriptum manu propria firmauimus et nostro sigillo repercuesso insigniri iussimus.

*Signum domini Heinrici uictoriosissimi (L. M.) Imperatoris augusti.*

*Guntherius cancellarius ad uicem Herkembaldi Mogontini archiepiscopi et archicapellani recognouit.*

DATA XIII. KAL. MARCII, INDICTI ONE III. ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS MILLESIMO XXI<sup>o</sup>.  
ANNO VERO DOMNI HEINRICI SECUNDI REGNANTIS XVIII<sup>o</sup>. IMPERII AUTEM VIII. ACTUM PODREBRUN  
FELICITER AMEN.

Das Siegel war mit schmalen ledernen Riemen angehängt, also wahrscheinlich ein Metallsiegel.

### CIII.

Aus dem Fürstlich - Bentheim - Tecklenburgischen Archive.

Nouerit omnium fidelium presentium scilicet ac futurorum industria, Qualiter Nithardus Mimigerne- fordensis aecclesiae humilis antistes, ob peticionem fidelis sui Bruningi, dedicauit basilicam quę sita est in pago Belaun iuxta fluum Acarse nominatum, in honore sancte Mariae semper uirginis, cuique tales condonauit libertatem, ut presbiter illius loci sine censu degeat, nihilque aliud episcopus prefatae aecclesiae inde accipiat, nisi congruentibus synodum temporibus illic habeat, et quę corrigenda sint corrigat, et ut hęc plenus stabilitentur, ipse Bruningo tradidit episcopo familiam unam in pago Scopingun, Adalbernum cum cunctis suaे possessioni accidentibus, terris, siluis, pratis, aquis, aquarumue decursibus. Quis pera- ctis, talem predicto potestatem Bruningo episcopus dedit, aecclesiae suisque perpetuo posteris possidendam, ut sine molestiarum turbatione quasi iure dominarentur hereditario.

Post multorum uero discessus temporum, Dominus Sigifridus supradictae aecclesiae sedem suscipiens ad regendum, hanc eandem traditionem in communi synodo Engilberhto successori eiusdem Bruningi con- cedens firmauit, et hanc cartam sigillo sancti Pauli impressam scribi precepit.

Die Charte ist sehr beschädigt, doch ohne bedeutenden Verlust des Textes, in welchem das wenige Ausgefallene leicht und sicher zu ergänzen war. Die Schrift ist eine schöne germanische Minuskel. Das Siegel ist unten seitwärts auf einem von der Schrift frei gelassenen Raume, durch zwei, in das Pergament gemachte, lange, parallel laufende Querschnitte aufgedrückt; zwar ist davon nur noch ein Bruchstück übrig, man erkennt daran aber deutlich das Brustbild des Apostels Paulus, wie auf dem bekannten Domkapitularischen Siegel, von welchem also hier der älteste Abdruck vorliegt.

### CIII<sup>b</sup>.

Aus Kindlingers Handschriften - Sammlung, Bd. 12. u. 19.

In nomine Sanctae Trinitatis. Sigifridus Dei gratia Episcopus. Gratia et pax a Deo patre et a Do- mino Iesu Christo et a Spiritu Sancto paracito omnibus qui parati sunt testimonium perhibere ueritati et non erubescunt ueritatem quando fuerint interrogati. Dominus Sigifridus tercarius et decimus a sancto Liud- gero Mimigardeuordensis ciuitatis episcopus, primum in contemplativa uita sub nomine abbatis profectus, postea ad gubernationem active presul a Deo electus, cum magnum studium haberet totius Dei famulamini- nis, inuenit in parochia sua quandam matronam genere et moribus claram, diuiciis et possessione latissi- mam, Reinmod appellatam, cum unica filia Vrederuna, cuius tam magna uoluntas fuit nouas basilicas con- struendi, sicut episcopo consecrandi, cuius consilio atque permissu septem elaborauit monasteria in locis

Cod. dipl. hist. Westfal.

quibus permaxime erant necessaria. Vnum in loco qui dicitur Farlari. alterum in Oppenulisa. tertium in Buntlagi. quartum in Curithi. quintum in Ihtari. sextum in Honþorpa. septimum in Vnkingþorpa. Haec septem loca nobiliter consummata, aris et reliquiis Sanctorum ornata et caeteris suffulta quibus indigent sacerdotes, cum magna laude et deuotione unumquodque in suo tempore predictus dedicauit antistes, qui nolens se tam boni operis expertem esse, de domibus et uillis adiacentibus quod sibi uidebatur ad unamquamque deputauit ecclesiam, ut esset locus idoneus uisitare infirmos, sepelire mortuos, et illa implere quae ad Dei seruitutem et ad fidelis populi tam uiui quam defuncti pertinent salutem. Si quis ex nostris successoribus surrexerit et hanc conscriptionem instigante diabolo dissipare presumpserit, sciat se episcopali banno in die iudicii obligatum et obstrictum, si quicquam euacauerit quod hic habet scriptum. Ideo ne periculum faciat animae suae, sit ei haec charta pro testimonio Sancti Pauli apostoli patroni nostri impressa sigillo, nec dubitet quod si spernit episcopum, spernit apostolum, si spernit apostolum, spernit filium Dei unigenitum, qui est testis fidelis primogenitus mortuorum et princeps Regum terrae, cui honor, gloria et imperium in saecula saeculorum. Hae sunt uillae quae tradente episcopo Sigifrido ad Farlari pertinebunt ad ecclesiam ibi constitutam. De Billarbeki. Gardiuel. Vuesthelnon. De his uillis XXX. domus. De Cosuelda. Hamim. Mottonhem. Gaplon. Suthuwick. Hembruggion. Hildiuordinghuson. Quin quaginta et quatuor domos. Ostaruuik omnis. Farlari usque ad domum Geliconis in Kurtbeki. Bardarnarasuuick. Holtuwick. Liudbeki. Bermothem. Segmeri. Septuaginta et quatuor domus de Gascheri. Burion uiginti et quatuor domus. Hae uillae ad Hoentorp pertinebunt. Wersethorp. Aldenthorp. Hoenthorp tota. Blasheri. Hauokhurst. Weppenthorp. Hae pertinebunt ad Buntlagi. Vffenhem. Sueduinkila. Harhem. Suthreni. Waathhalhem. Landrikashem. Honhurst. Stokhem. Buntlagi. Oldenhreni. tres domos in foresto. Hae uillae pertinebunt ad Ihtari. De ecclesia Wernon. ipsa curtis Ihtari et villa Simanningtharp. Lasingi. Westhronon. Wigeringthorp. De his uillis uiginti et septem domus. De ecclesia Ihtari quae Suthkirke uocatur undecim domus de villa Ledscipi in qua sedent Gelo, Woldahre et Aneke. De Northkirken. Ihtari. Hathouworkingthorp. Hildingthorp. et omnis Pikenbrok. De his uillis uiginti quinque domus. De ecclesia Ascasbergh. Westeringen et Ostaringen et tres curtes et una domus Razonis et Garikingthorp. De his uillis uiginti quatuor domus. Westsmithikingthorp. Paringthorp dimidia. Ad Vnkingthorp pertinebit quicquid trans Lippiam fluuium est ex integro. Ad Curithi pertinebit Vbbenbergh omnis. Curithi ex integro. duo Sandonthorp. Sprakenlo. Hemmonhem. Getillingthorp. duo Galmeri. Friglesthorp. Bettisthorp. Lengriki. Legsetin. Hae sunt uillae quae ad Oppenulisa pertinebunt. Omnis Alfstedti. Papingthorp. Fronothorp. Bredebeneki. Holtebures. Gerlinkingthorp. Frilingthorp. Hanguni tota. Werithon. Appenulisi. Haec sunt nomina testium qui his interfuerunt et haec audierunt. Odo prepositus. Werni uicedominus. De kappalanis. Hatto. Grothuerk. Hriko. Yko. Benno. Walh. Gerfrid. Radlef. Guncilin. De laicis. Godefrid. Heriman frater eius. Lefgard. Item Godefrid et Heriman fratres. Ezo. Berto. Geto. Scripturam istam iubente episcopo Godescalcius decanus dictauit, Adalhard diaconus scripsit, ipse dominus episcopus nomine et effigie sancti Pauli signauit, signatam domnae Reinmod et eius filiae tradidit et secundo ac tercio diuinæ authoritatis malleo solidauit.

## CIV.\*)

**C.** In nomine sanctæ et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. Si uenerabilia aecclesiarum Dei loca ditare ac sublimare studuerimus, nobis id animaeque nostræ remedio parentumque nostrorum nec non regni nostri || statui profuturum esse minime dubitamus. Qua-

\* ) Mit dieser Urkunde stimmt die, nur noch abschriftlich erhaltene Urkunde von gleichem Datum, wegen des Gutes Hohunseli, bis auf die nothwendige Verschiedenheit der Ortsangabe, wörtlich überein.

in  
a  
ec  
ent  
qui  
m  
ere  
tris  
co  
m.  
oni  
m,  
cui  
ad  
llis  
in  
as  
nti  
ta.  
m.  
to.  
gi.  
ke.  
ri.  
sia  
lis  
id  
uo  
g  
e  
na  
o.  
is.  
ili  
eo  
  
propter nouerit omnium Christi fidelium nostrorumque uniuersitas, qualiter nos insipientes interuentum dilectissimae coniugis nostrae CVNIGVNDAE imperatricis augustae, assidue monentis atque incessabiliter nobis in memoriam reducentis, quod Meinuuercus Paderbrunnensis aecclesiae venerabilis episcopus plus caeteris fidelibus nostris in seruitute nostra iugi deuotione sudauit, eidem Paderbrunnensi aecclesiae in honorem sanctae Dei genitricis Mariae sanctique Kiliani martiris nec non preciosi confessoris Liborii dedicatae, cui idem nobis dilectus antistes preesse uidetur, quoddam premium nostrum Steini dictum, situm in pago Westfalon, in comitatu uero Bernhardi comitis,\*) cum omnibus eiusdem predii pertinentiis, terris uidelicet cultis et incultis, curtis, areis, edificiis, mancipiis utriusque sexus, pratis, pascuis, siluis, uenationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, uiis et inuiis, exitibus et redditibus, queatis uel inquirendis, ceterisque omnibus quae quomodounque dici siue scribi aut nominari possunt utilitatibus ad ipsum premium pertinentibus, per hanc nostram imperiale paginam concedimus atque largimur, et de nostro iure ac dominio in eius ius et dominium omnino transfundimus. Ea uidelicet ratione, ut predictus M. episcopus sibique posthinc succedentes liberam habeant de eodem predio eiusque pertinentiis potestatem quicquid eis placuerit ad usum aecclesiae faciendi, omnium hominum regni nostri contradictione remota. Et ut haec nostrae ingenuitatis auctoritas stabilis et inconuulta omni posthinc permaneat tempore, hoc imperiale preceptum inde conscriptum manu propria confirmantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domni Heinrici Romanorum inuictissimi (L. M.) imperatoris augusti.  
Guntherius cancellarius uice Aribonis archicappellani recognouit.*

Data XVIII. Kal. Febr. Indictione VI. Anno dominicae incarnationis Millesimo XXIII. Anno uero domni Heinrici secundi regnantis XXI. Imperii autem VIII<sup>o</sup>. Actum Paderbrunnon feliciter amen.

Das aufgedruckte grosse kaiserliche Siegel ist das bereits beschriebene.

## CV.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. Quoniam diuine dignationis clementia || ad regendum totius rei publicae statum nos prouexit suae immense pietatis magnificentia, ante omnia ad hoc laborare debemus, ut qui corona terreni imperii gloriamur, illa inestimabilis gaudii gloria non priuemur. Quod certissime posse fieri creditur, si loca aecclesiasticis obsequiis a christianis uiris deputata, nostra auctoritate confirmantur et corroborantur, ut omni exteriori inquietudine remota, diuinis laudibus in eis mancipati in pace et quiete domino seruire delectentur, et qui curis et negotiis secularibus grauamur, eorum qui in lege eius die ac nocte meditantur precibus a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Qua propter omnium fidelium Christi nostrorumque nouerit uniuersitas, qualiter dilectus nobis uenerabilisque MEGINWERCVS Potherbrunnensis aecclesiae antistes, celsitudinem nostram adiit, suppliciter exorans, ut Monasterium in occidental parte Potherbrunnensis suburbii ab eo in honore sancte Dei genitricis et perpetuę virginis MARię omniumque sanctorum fundatum nostra imperiali auctoritate confirmaretur, quatinus fratres ipsius Monasterii in diuino seruitio iugiter permansuri, ab omni seculari uiolentia et molestia remoti et muniti, tanto expeditius uiam mandatorum Dei currenerent, quanto eis terrenę incommoditatis impedimenta nulla obstarent. Cuius laudabilis studii intentione congaudentes, et per interuentum dilectissimę coniugis nostrae Cunigundę uidelicet imperatricis augustę, aliorumque fidelium nostrorum iustis petitionibus gratuito assentientes, imperiali auctoritate decreuimus, ut omnia a nobis uel ab ipso uenerabili episcopo de sua hereditate uel aliunde per commutationem aut pre-

\*) quoddam premium nostrum Hohunseli dictum, situm in pago Westfalon, in comitatu uero Bernhardi comitis.

cariam uel ab aliis Dei cultoribus eidem Monasterio collata, uidelicet in territoriis, villis, areis, curtis, aedificiis, mancipliis utriusque sexus, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, campis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, siluis, uenationibus, exitibus et redditibus, uiis et inuiis, quesitis et inquirendis, cum omni utilitate et integritate quę ullo modo ex eis prouenire poterit, ipsius Monasterii abbas cum suis fratribus proprietario iure potestatiuae habeat atque possideat, et cum episcopi licentia quicquid illis placuerit ad communem usum aeccliae faciat. Insuper eciam firmiter et stabile perpetuo iure sanctimus, ut nullus dux aut comes aut aliqua persona parua uel magna quemlibet abbatum ipsius Monasterii cum suis fratribus super eisdem bonis inquietare, molestare aut diuestire, aut aliqua iudicaria potestate se intromittere presumat, nisi aduocatus aeccliae ab abbate et fratribus in defensorem electus et ab episcopo constitutus, eo uidelicet tenore, ut iure contentus ecclesiae cum precepto et consilio abbatis omnia faciat atque disponat. Si quis autem hoc nostrae imperialis confirmationis edictum aliqua presumptione infringere temptauerit, centum librarum examinati auri ad nostrum pondus compositione multetur, ut quinquaginta nostre camere persoluat, quinquaginta eidem ecclesie quam ausu temerario inquietare presumpsit. Et ut hec confirmatio uerius credatur stabilisque et inconuulsa omni tempore habetur, hanc imperialis edicti paginam inde conscribi, et manu propria confirmantes, sigillo nostro insigniri IVSSIMVS.

*Signum domni Heinrici Romanorum inuictissimi Imperatoris augusti.*

*Guntherius cancellarius uice Aribonis archicappellani recognouit. (L. M.) Datum XVIII. Kal. Feb. Indict. VI<sup>a</sup>. Anno dominicae incarnationis Millesimo XXIII<sup>o</sup>. Anno uero domni Heinrici secundi regnantis XXI<sup>o</sup>. Imperii autem eius VIII. Actum Paderbrunnon feliciter amen.*

Das aufgedruckte Siegel ist das bereits beschriebene.

## CVI.

**C.** In nomine sanctae et indiuidue Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia, Romanorum Imperator augustus. Si uenerabilia aeccliarum Dei loca ditare ac sublimare studuerimus, nobis id regnique nostri || statui profuturum esse minime dubitamus. Quapropter nouerit omnium Christi fidelium nostrorumque universitas, qualiter nos pro remedio animae nostrae dilectissimaeque coniugis nostrae Cunigundae uidelicet imperatricis augustae atque parentum nostrorum nec non pro animabus fidelium nostrorum quorum ibi corpora requiescant, Erphonis scilicet comitis atque Cōnonis, monasterio nostro Cōfunga nominato, in honorem domini saluatoris sanctaeque eius genitricis, nec non uictoriosissimae crucis atque beati Petri apostolorum principis constructo, ad usum sanctimonialium ibidem Deo seruientium, quoddam nostri iuris podium Hardinghuson dictum, situm in Pago in comitatu uero comitis,\* cum omnibus eiusdem predii pertinentiis, terris uidelicet cultis et incultis, curtificiis, areis, aedificiis, mancipliis utriusque sexus, pratis, pascuis, siluis, uenationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, uiis et inuiis, exitibus et redditibus, quesitis uel inquirendis, ceterisque omnibus quae quomodocumque dici siue scribi possunt utilitatibus ad ipsum podium pertinentibus, per hanc nostram imperiale paginam concedimus atque largimur, et de nostro iure ac dominio in eius ius et dominium omnino transfundimus. Ea uidelicet ratione ut ipsius aeccliae uenerabilis abbatissa Œta sibique posthinc succedentes liberam habeant de eadem proprietate eiusque pertinentiis quicquid eis placuerit ad usum aeccliae faciendi potestatem,

\* ) Im Originale sind die Stellen für den Namen des Gaues und des Grafen leer gelassen.

omnium hominum regni nostri contradictione remota. Et ut haec nostrae ingenuitatis auctoritas stabilis ac inconulsa omni posthinc permaneat tempore, hoc imperiale preceptum inde conscriptum manu propria confirmantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domini Heinrici Romanorum invictissimi (L. M.) Imperatoris Augusti.  
Guntherius cancellarius uice Aribonis archicappellani recognouit.*

Datum XVIII. Kal. Febr. Indict. VI. Anno dominicae incarnationis Millesimo XXIII<sup>o</sup>. Anno uero domini Heinrici secundi regnantis XXI<sup>o</sup>. Imperii autem eius VIII<sup>o</sup>. Actum Paderbrunnco feliciter amen.

Das aufgedruckte Siegel ist das bereits beschriebene.

## CVII.

Quidam dñs. nomine Brun, cum nepte sua Idae uocitata, ad dominium sanctę Dei genitricis Marię et sancti Kiliani martiris Liboriique confessoris sua predia in Sutdesburch et Betanum, Wallanstedi, cum omnibus illuc pertinentibus in proprium tradidit. Interea post quinquennium obitu imperatoris secundi Heinrici adueniente, predicta Idę cum uiro suo Brunone has omnes traditiones iniuste rennuere uolebat. Episcopus uero Meinuuercus tanta predia quasi sapiens nolens perdere, domnę Idan usque ad exitum suę uitę LXXX aratra ad reconciliationem tribuit, ea uidelicet ratione, si ipse aut aliquis eius successorum abstrahere uoluerit presignata aratra, quatinus hęc predia eidem penitus restituat. XVIII. Kal. Octobr. actum in Hiruteldun.

Huius reconciliationis sunt testes. Bernhardus dux. Heriman comes et filii eius. Heinric. Conrad. Adalbrach. Bernhard. Ekkica comes de Aslan. Bernhard comes. Erp comes. Tiedric comes Fresonie. Widukin comes. Amulungo comes et frater eius Ekbracht. Ekkica comes. Geba et filii eius. Heinric. Cōna. Volcherd. Benna et frater eius. Godica. Vffa. Beua. Eppa. Riedach. Engiza. Viza. Hildilin. Tamma. Rōthard. Ekkica. Tiedric miles Ekkiconis. Bennaca et frater eius Tiaza. Reinald. Godikin. Wizuka. Gela. Dropa. Thiapbalt. Tiamma comes et frater eius. Esic. Iringe. Oua. Ecilin. Tiedric. Meinhard. Tiedric.

Ein Siegel war aufgedruckt, ist aber verloren gegangen.

## CVIII.

*Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn.*

Notum sit omnibus fidelibus presentibus scilicet et futuris, quod quidam fidelis nomine Hildelin, per consensum suę contectalis Odę et iustissimi heredis ipsius Arnaldi, unam aream et XL. iugera cum omnibus appendiciis, in pago Nihterga, in uilla quę dicitur Holthusen, et Arnaldus scilicet cum consensu suę matris eiusdem Odę et predicti Hildelini unum litum in pago Almunga in uilla quę uocatur Barghusun cum sua uxore et filio et cum omnibus quę tunc habuit in area quoque et predio et omnibus eiusdem predii appendiciis, ad dominium sanctę Dei genitricis Marię et sancti Kiliani martiris sanctique Liborii confessoris atque pontificis, pro decimatione super uillam Emiggrothun acquirenda, in proprium tradidit. Quod uero Meinuuercus episcopus pie perpendens, predicto Hildelino et suę contectali Odę et Arnaldo omnibusque posteris eius eandem decimationem super uillam quę uocatur Emiggrothun pro predicto predio per suum aduocatum Amulung in proprium dedit. Hęc itaque traditio III. Non. Nouembris primum facta, IIII. Non. Januar. in Paterb. iterata atque confirmata est, consendentibus ibidem archiepiscopo Hunfritho et episcopo Siberhto et Hildiuuardo atque Liuzone episcopis, et adstantibus Fritherico, Gerberto, Thiaderico comitibus. Brun. Godebald. Erp. Rathuboda. Ecbert. Vuikin. Thiaderic. Haold. Uffa. Haold. Godescale. Bennaka. Folchard.

## CIX.

**C.** In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Chuonradus diuina fauente clementia rex. Si seruorum Dei petitionibus facilem aurem accommodantes, locis diuino cultui mancipiatis aliquam munificentia nostra adicit immunitatem, unde commorantes inibi securius et commodius uitiae celestis quietudini ualeant inseruire, existimamus hinc presentibus uti felicius ac mansuris perfrui beatius. Quocirca nouerit omnium Christi nostrique fidelium cautela, tam presentium quam succendentium, qualiter nos pro remedio anime nostrae parentumque nostrorum, nec non interuentu ac petione dilecte coniugis nostre GISELÆ regine et uenerabilium Archipresulum Aribonis Mogontini atque Piligrimi Coloniensis, traditionem Hluduwici imperatoris, quam tradidit ad monasteria quorum unum est monachorum noua Corbeia nuncupatum, aliud est sanctimonialium Heriuordi nominatum, quae pie memorie genitor illius Hluduuius imperator ad normam precepuorum in Gallia monasteriorum construxit, Corbeiense uidelicet ad similitudinem antique Corbeiæ, Heriuordense uero ad Suessionis similitudinem, abbatii Corbeiensi commendauimus, ut iuxta consuetudinem qua ancillarum Dei congregationibus procurari solent prepositi ex ecclesiastico ordine, tam in disciplina quam in cunctis negotiis que famulæ Christi pro sexu et professione sua exequi non possent, ipsarum prouisor et patronus existeret. Pro elemosina autem generis sui tradidit cellam que vocatur Meppia cum decimis et possessionibus undique ad eam pertinentibus, et ecclesiam Heresbure circumquaque per duas saxonicas rastas ad nouam Corbeiam, ad Heriuordense uero monasterium in episcopatu Asnabruggensi ecclesiam Biunidi cum subiectis sibi ecclesiis, in parrochia Mimierneuordi ecclesiam Reni cum his quae ad eam pertinent ecclesiis, ita sane ut decimarum aliorumque redditum prouentus omnes prefatis cederent monasteriis, et ab ipsis uicissim procurentur subiectæ plebes, in baptimate, in eucharistia, in sepulturis, in confessione peccatorum audienda, et presbiteri qui principales ecclesias tenerent archipresbiterorum officio fungerentur, ad agenda omnia que solent fieri ab archipresbiteris episcoporum, et cum ipsi episcopi circationes suas ibi agere deberent, ad eorum mansionem daretur ut in capituloibus antecessorum nostrorum prescriptum habetur, uidelicet quantum satis sit eis dari, et episcopi non plus querant, nec cum pluribus ueniant, quam ut eis sufficere possint. Ne autem in summa debiti episcoporum seruiti plus exigeretur quam opus sit, statuerunt predictarum ecclesiarum episcopi cum consensu synodali coram antecessore nostro Ottone imperatore et archiepiscopo Rhabano ceterisque cum eo in synodo agentibus, ut dentur ad singulas ecclesias porci IIII. ualentes singuli denarios XII. aut arietes VIII. tantundem ualentes, porcelli IIII. auctæ IIII. pulli VIII. Situle XX. de medone, de mellita ceruisia XX. de non mellita LX. panes CXX. de auena modii C. manipuli DC. essetque in potestate episcoporum, utrum hec per singulas ecclesias ad unum mansionaticum an ad dua uellent habere. Statuit ergo prefatus antecessor noster Otto imperator liberam utriusque loco concessionem eligendæ de propria congregatiōne in regimen sui per futura semper tempora congrue personae, et ut nullus iudex publicus licentiam in homines ad prefatum monasterium Heriuordense pertinentes ullam iudiciariam habeat exercere potestatem, sed omnis eorum res coram aduocato ipsorum definiatur. Quam constitutionem antecessorum nostrorum iustum et rationabilem, nos quoque predicto monasterio Heriuordensi precepto nostro regali confirmamus atque corroboramus. Et ut hec confirmationis nostre auctoritas stabilis et inconuulsa omni permaneat oeo, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domni Chuonradi (L. M.) regis inuictissimi.*

*Ödalricus cancellarius uice Aribonis archicapellani recognoui.*

Data IIII. Id. Januar. Indictione VIII. Anno dominice incarnationis M.XXV<sup>o</sup>. Anno uero domni Kuonradi secundi regnantis I<sup>o</sup>. CORBEIE.

*Das Siegel ist verloren gegangen.*

## CX.

Abschrift nach dem zu Fischbeck aufbewahrten Originale mitgetheilt vom Bibliothekar Mooyer zu Minden.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Chuonradus diuina fauente clementia rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris tam praesentibus quam futuris, qualiter quaedam uenerabilis || abbatissa nomine Abug, antecessorum nostrorum regum scilicet uel imperatorum scripta, suae aeccliae quae est in Vuiscbiki collocata, tradita, in nostram presentiam contulit, eademque ex nostra regali potestate confirmari ac corroborari quam humillime rogitauit. Cuius petitioni ita ut dignum est assensum prebentes, ob amorem Dei nostraequae remedium animae scilicet et per interuentum SIGEBERTI sanctae Mindensis aeccliae uenerandi presulis nec non et Berinhardi ducis ceterorumque nostrorum fidelium, iam dictam abbatissam una cum congregatione sibi subiecta omnibusque illuc rite pertinentibus, in nostrum mundiburdium ac defensionem ex integro suscepimus. Precipientes igitur iubemus ut nullus iudex publicus neque aliquis ex iudicia potestate homines praedictae aeccliae liberos seu colonos, litos aut seruos, in aliquo negotio distingere presumat, nisi tantum aduocatus loci illius, habeantque sanctimoniales illae liberam potestatem per successionem temporis inter se siue aliunde abbatissam eligendi, nullius seculari dominio subiectae, excepto nostro, qui earum defensor Deo annuente esse uolumus.

Haec sunt predia quae pertinent ad supra dictam aeccliam Viscbiki. In illo loco VI. mansi pleni. Insuper etiam in his locis ita nominatis. Vuendredesa I. Vuigbaldeshusun IIII. mansi. Benneshusun I. mansus. Haddeshusun I. mansus. Tiadanhusun I. mansus. Hainanhusun II. mansi. Et in aliis locis ad ministerium aeccliae Viscbiki XXVIII. mansi in pago Tilithi in comitatu Herimanni comitis, iterumque in pago Merstem in comitatu eiusdem comitis VIII. mansi, et in pago Laginga VI. mansi in comitatu Dodican, in pago Westfala in comitatu Heinrici comitis X et VIII. mansi, et in comitatu Hroduuerkes VI. mansi. Et in villa quae uocatur Hramnesberg II. mansi, Fiahthorpe I. mansus, in Anion IIII. mansi, et in comitatu Wirinhardi curtem nomine Thuliberh V. mansi. In Tundirin VII. mansi. In Hartingeheusun villa integra. Et ut haec nostra confirmatio stabilis et inconuulsa permaneat, hanc nostri precepti paginam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

*Signum domni Chuonradi (L. M.) gloriosissimi regis.*

*Ödalricus cancellarius uice Aribonis archicapellani recognoui.*

Data II. Id. Januar. Indictione VIII. Anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>.XXV<sup>o</sup>. Anno autem domni Kuonradi secundi regnantis I<sup>o</sup>. Actum Corbeie.

Dem Originale lag das Siegel abgefallen bei.

## CXI.

**C.** In nomine sanctae et indiuidue Trinitatis. Chuonradus diuina fauente clementia rex. Notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus praesentibus scilicet atque futuris, qualiter uenerabilis abbas nomine Truchtmarus nostram adiit excellentiam || suppliciter orans, ut nostra magnifica munificentia prospiceremus monasterio cui preesse uideretur, quod est constructum super fluum WISERA in loco qui dicitur noua CORBEIA in honorem Dei et sancti STEPHANI protomartyris, ubi et beati VITI martyris preciosa pignera seruari noscuntur. Cuius peticioni rationabili propter diuinum amorem et uenerationem beatorum martyrum assensum prebentes, hos apices serenitatis nostrarae circa ipsum monasterium fieri iussimus, per quos decernimus atque iubemus, precipue ut potestatem monachi, si necessitas uenerit, habent, abbatem

eligendi de fratribus suis, et ut nullus episcopus aut iudex publicus uel quilibet ex iudicaria potestate, nisi solus illius loci prouisor et aduocatus predicti monasterii, in ecclesiis aut loca uel agros seu reliquas possessiones prefati monasterii quas moderno tempore iuste et rationabiliter possidere uidetur, ad causas audiendas uel freda exigenda aut mansiones uel paratas facientes aut fideiussores tollendos, aut ulla redibitiones uel illicitas occasiones requirendas, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam et seruos uel litos iniuste distringendos ullo umquam tempore audeat ingredi, uel ea que supra memorata sunt penitus exigere aut actitare presumat. Sed et de dominicatis mansis uel nunc habitis uel post acquirendis, a reddendis decimis plenam idem monasterium habeat immunitatem, et sicut hactenus fuit, ut dentur ad portam in susceptionem hospitum et peregrinorum, in quibuslibet episcopiis, pagis uel territoriis, uel omnibus que ibidem propter diuinum amorem et illius sancti loci uenerationem collata fuerint, ut liceat ibidem Deo famulantibus sub nostrę immunitatis tuitione quieto ordine uiuere ac residere, et melius illos delectet omni tempore pro nobis et coniuge nostra atque stabilitate regni a Deo nobis collati, domini misericordiam attentius exorare. Insuper etiam decimas uel decimales ecclesiis in quibusque episcopiis ita teneant atque disponant, sicut sub antecessoribus nostris regibus uidelicet et imperatoribus tenere per precepta uisi sunt atque disponere. Episcopis uero, quibus seruitum et mansionatica debent tempore circuitus sui, secundum scripta sua singulis annis persoluant. Et ut haec auctoritas concessionis atque confirmationis nostrę firmior habeatur et per futura tempora a cunctis fidelibus sancte Dei ecclesię nostris que presentibus et futuris melius credatur diligentiusque obseruetur, manu propria subter eam firmauimus et sigilli nostri impressione assignari iussimus.

*Signum domni Chuonradi (L. M.) regis inuictissimi.*

*Odalricus cancellarius uice Aribonis archicapellani recognoui.*

Data XI. Kal. Febr. Indictione VIII.<sup>a</sup> Anno dominicae incarnationis MXXV.<sup>o</sup> Anno uero domni KVON-RADI secundi regnantis I.<sup>o</sup> Actum GOSLARE.

Das Siegel ist verloren gegangen.

## CXII.

**C.** In nomine sanctae et indiuidue Trinitatis. Chuonradus Dei donante clementia rex. Omnium sancte Dei ecclesię nostrorumque fidelium presentium ac futurorum comperiat uniuersitas, qualiter domna Fride-runa || uenerabilis abbatissa eiusque soror Imma cometissa, Gerone comite adiuuante construxerunt quod-dam monasterium in villa Keminata dicta, in pago Tilihi, in comitatu Bernhardi ducis situm, in honore Dei genitricis sancte Marie virginis dedicatum, ad quod omnem hereditatem suam, curtes scilicet ac villas infra nominatas, Keminata, Heigen, Hogen, Tundirion, Othere, Varstan, Rothe, Bardeuic, Hotmannessun, Witthorp, Britlingi, Biangibudiburg, Addunesthorp, Hatherbiki, Bodanhuson, Suotherburg, Claniki, Wig-mannesburgstal, Bennedestorp, Vuidila, Vuandersidi, Kokerbiki, Holana, Aun, Setila, Hepstidi, Sinigas, gratissima uoluntate tradiderunt. Vnde nostram maiestatem regiam aggressę supplices rogauerunt, ut ipsum monasterium in nostri mundiburio susciperemus. Quod nos petizione Gisle scilicet reginę dilectissime coniugis nostrę, sed et interuentu Sigebrahdi Mindonensis episcopi fecisse cognoscat uniuersitas fidelium. Ad hec statuimus, ut eiusdem monasterii abbatissę talis libertatis, legis ac regulę primatu fruerentur, quali ceterę sancte moniales in regno nostro sub regula sancti Benedicti iuste uiuentes utantur. Insuper concedimus eidem abbatię, ut nullus marchio, nullus comes, nullaque nostri imperii magna uel parua persona, in ea placitum facere, uel publicam functionem exire, nisi aduocatus quem abbatissa que tunc temporis fuerit cum sanctimonialium consensu eligere uoluerit. In obitu uero abbatissę eiusdem monasterii liberum

habeant arbitrium aliam eligendi iuxta regulam sancti Benedicti. Et ut huius nostre auctoritatis priuilegium perseueret, hanc paginam manu propria roborantes, sigillo nostro iussimus insigniri.

*Signum domni Chuonradi (L. M.) regis inuictissimi.*

*Ödalricus cancellarius uice Aribonis archicapellani recognoui.*

Anno dominice incarnationis M. XXIII. Indictione VII. VI. Id. Febr. Data est in Merseburg. Anno autem domini Kuonradi secundi regnantis I. Actum :

Das Siegel ist verloren gegangen.

### CXIII.

Quando dominus episcopus Maeginuuercus suimet iter ad Romam direxerit, pro hereditate Hatheburge, Athulfo et Hicilę XV. talenta dedit, et IIII. mansos cum XX. mancipiis. Unusquisque eorum soluere debet V. siclos argenti.

Postquam episcopus Meinuuercus de Roma ueniebat, tunc iterum prenominatis in reconciliationem dedit I. crusinam marthrinam et X. solidos denariorum.

### CXIV.

Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn.

In nomine sanctae et indiuidea Trinitatis. Cunradus diuina gratia Romanorum Imperator augustus. Perpendimus atque considerauimus animas nostras peccatorum maculis obfuscatas hoc multum posse iuuare, nos ad diuini honoris et gloriae maiestatem ecclesias Christi sublimare, aedificare, et de nostris rebus ditare, pariterque nouimus ad nostrae imperialis potenciae dignitatem pertinere, eis qui nobis domi uel miliciae bene seruierint condignam seruitutis remunerationem exhibere. Proinde nouerint Christi nostrique fideles uniuersi, qualiter nos per interuentum dilectissimae coniugis nostrae Gislae, nec non filii nostri Heinrici regis et Brunonis Augustensis episcopi et Herimanni marchionis et Eggilhardi fratribus sui, ad diuinam gratiam et gloriam, pro remedio nostrae animae, Paderbrunnensi ecclesiae in honorem sanctae Mariae Dei genitricis et sancti Kyliani martiris et sancti Liborii confessoris consecratae, eiusque prouisori Meinuero, qui nobis sepe et multum frequenter et fideliter seruuit, quandam curtem nomine Eruitte ad nostrum imperiale ius pertinentem, in pago Engere, in comitatu autem Marcuardi sitam, perpetualiter habendam tradidimus, cum mancipiis utriusque sexus omnibus ad hanc iure pertinentibus, cum ceteris quoque uniuersis appendiciis, scilicet areis, aedificiis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, siluis, uenationibus, uiis et inuiis, exitibus et reditibus, aquis aquarumue decursibus, punctionibus, molendinis, quesitis et inquirendis, cum banno et mercato etiam quod apud eandem curtem solet haberis, et cum omni utilitate quae inde poterit peruenire. Et ut haec nostrae traditionis auctoritas firma omni permaneat aeuo, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes iussimus insigniri sigillo.

*Signum domni Chuonradi inuictissimi Romanorum imperatoris augusti. (L. M.)*

*Ödalricus cancellarius recognouit.*

Data VII. Idus Aprilis, Indictione Xa. anno dominicae Incarnationis M<sup>o</sup>.XXVII<sup>o</sup>. anno autem domni Cunradi secundi regnantis III<sup>o</sup>. Imperii uero I<sup>o</sup>. Actum Romae.

## CXV.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Chuonradus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. || Si piis petitionibus fidelium nostrorum, maxime quas pro ecclesiis sibi commissis auribus nostris infuderint, benignum prebuerimus auditum, hoc procul dubio et ad presentis imperii nostri statum, et ad aeternae beatitudinis premium profuturum credimus. Unde omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum nouerit sollers industria, quia adiens excellentiam nostri culminis, Druthmarus uenerabilis nouae Corbeiae abbas curtem quandam Godeleuesheim nuncupatam anteriori tempore eidem monasterio questus est iniuste fore sublatam. Detulit preterea secum Arnolfi diui progenitoris nostri imperiale decretum, cui eiusdem curtis inerat concambia, inter eundem imperatorem atque Bouonem predicti monasterii patrem peracta. Cuius suggestioni fidem accommodantes, matronam quandam Alueraed uocatam, quae ipsam curtem uelut hereditario iure tunc temporis possedit, ad palacium nostrum euocari precepimus. Quae dum prolata refellere nequiuisset, prefatam curtem cum omnibus appendiciis, admittentibus sibi filio Osdago patronoque suo comite Frithericho, predicto uenerabili abbati absque ulla controuersia reddidit, atque hanc Hiddi monasterii aduocatus iussu nostro recepit. Post uero abbas clementia nostra prouocatus eidem matronae sepedictam curtem alteramque Gimundian uocatam ac familias quasdam in villa Brumerinchthorp ea condicione beneficiauit, ut si quid post obitum eius in hisdem possessionibus repperiatur, abbatis arbitrio disponatur. Filio uero eius curtem nomine Imminghusun eo pacto concessit, quatinus dum uiuat hanc teneat, nisi hunc munificentia nostra alicubi prius promoueri contingat. Post uero in ius monasterii redeat. Et ut huius restitutionis auctoritas firmior perpetim credatur, manu propria subtus roboram signilli nostri impressione iussimus insigniri.

TESTES. Hunfridus archiepiscopus. Meinuuercus episcopus. Godehardus episcopus. Sigifridus episcopus. Odalricus cancellarius. Asculfus. Sigibertus. Bernhardus dux. Adalbero dux. Ernastus dux. Liudulfus comes et priuignus imperatoris. Hiddi. Amulungus comes, et frater eius Ecbertus. Wigger. Gerlo. Vffo. Tiammo. Poppo. Bern. Thiathard. Brun. Gebo.

*Signum domni Chuonradi invictissimi Romanorum (L. M.) imperatoris augusti.*

*Odalricus cancellarius uice Aribonis archicancellarii recognouit.*

Data Kal. Jul. Indictione XI. Anno dominice incarnationis Millesimo XXVIII. Anno autem domni Chuonradi secundi regnantis IIII. Imperii uero I. Actum Magdeburch feliciter AMEN.

Das Siegel ist verloren gegangen.

## CXVI.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Chuonradus clementia diuina fauente Romanorum Imperator Augustus. || Nouerit omnium sanctae Dei aeccliae fidelium nostrorumque presentium scilicet ac futurorum industria, qualiter nos ob interuentum ac petitionem dilectae coniugis nostrae GISILAE imperatricis augustae, et amantissimae nostre prolis Heinrici regis, nec non Brunonis Augustensis uenerabilis episcopi, fidieli nostro Sigiberto Mindensi episcopo et aeccliae cui ipse Deo donante presidet, in honore sancti PETRI principis apostolorum et sancti GORGONII martyris Christi constructae, quandam siluam sitam singulariter in proprietate prediorum eiusdem Mindensis aeccliae, et in pago Entergouui, in comitatu uero Bernhardi ducis, cum consensu et conlaudatione prefati ducis B. et sui fratris Detmari, ceterorumque ciuium in eadem silua usque modo communionem venandi habentium, in siluis, campis et paludibus, inter flumina Ossenbeke et Alerbeke, usque in medium flumen Wermonon, et inde usque ad Northsulerecampon, ad Cortem pertinens Sulegon nominatam forestari concessimus et banni nostri districtu circumuallaui-

mus, ea uidelicet ratione, ut nemo ulterius in eodem foresto absque prelibati episcopi suorumque successorum licentia potestatem habeat uenandi, sagittandi, retia aut laqueos ponendi, aut ullo ingenio feras decipiendi, quae merito sub iure banni continentur. Si quis autem huius nostri imperialis precepti temerarius violator extiterit, sciat se episcopo et suo aduocato banni nostri summam compositurum. Et ut hoc uerius credatur diligentiusque per futura annorum curricula obseruetur, hanc kartam inde conscriptam subtusque manu propria roboratam sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domni Chuonradi inuictissimi Romanorum imperatoris (L. M.) augusti.*

*Ödalricus cancellarius uice Aribonis archicapellani recognouit.*

Data III. Kal. Apr. Indictione XII. Anno dominice incarnationis Millesimo XXVIII. Anno autem domni Chuonradi secundi regnantis V. Imperii uero II. Actum Ratispone.

Das Siegel ist verloren gegangen.

## CXVII.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Chuonradus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. || Notum sit omnibus Christi fidelibus presentibus scilicet atque futuris, qualiter nos ob interuentum ac petitionem nostrae dilectae coniugis GISALAE imperatricis uidelicet augustae, et amantissimae nostrae proliis HEINRICI regis, nec non Meinuuerchi Paterbrunniensis aeccliae episcopi, quoddam Berenhardi comitis pedium, Badperch dictum, cum mansis decem circa eundem montem adiacentibus, In pago Nichterga et in comitatu Haholdi comitis situm, quod ideo hereditario iure in nostram potestatem successit, quia idem ipse B. comes spurius erat, quod uulgo Wanburtich dicunt, ad Paterbrunne prescripti episcopi monasterium in honore Sanctae Mariae et Sancti Chiliani martyris sanctique Liborii confessoris consecratum tradidimus, cum manciipiis utriusque sexus, uillis, areis, aedificiis, agris, terris cultis et incultis, uiis et inuiis, pratis, pascuis, siluis, uenationibus, aquis aquarumue decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus et reditibus, quesitis et inquirendis, nec non cum omnibus appendiciis ad idem pedium iure pertinentibus, ea uidelicet ratione, ut in prescripti monasterii potestate perpetualiter existat. Et ut haec nostra traditio stabilis et inconulsa omni permaneat aeuo, hanc paginam inde conscriptam propriaque manu subtus roboratam sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domni Chonradi Romanorum imperatoris (L. M.) inuictissimi.*

*Ödalricus cancellarius uice Aribonis archicapellani recognoui.*

Data Kal. Junii, Anno dominicae incarnationis M. XXX. Indictione XIII. Anno domni Chuonradi regnantis VI. Imperii uero III. Actum Mersiburch feliciter amen.

Das aufgedruckte, grosse und noch ziemlich gut erhaltene Siegel zeigt den Kaiser, auf einem niedrigen Throne sitzend, die Hände hoch aufgehoben, und in der rechten einen Stab, auf dessen Spitze ein Adler, in der linken den Reichsapfel mit einem Kreuze haltend; mit der Umschrift: Chuonradus Di. Gra. Romanoꝝ. Imp. Aug. †. — Die Figur des Kaisers ist sehr zusammengedrückt und der Kopf desselben unförmlich gross, mit einem langen Barte.

## CXVIII.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Chuonradus diuina disponente gratia Romanorum Imperator augustus. Omnia Dei nostrique fidelium uniuersitati notum || esse uolumus, qualiter nos propter amorem caelestis patriæ, atque ob interuentum ac petitionem dilectae coniugis nostrae GISILAE imperatris<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> sic.

augustae, nec non kari filii nostri HEINRICI regis, et propter iuge deuotumque nobis seruitum MEGINWERCHI sanctae Paderbrunnensis sedis uenerabilis episcopi, ecclesiae cui ipse Deo donante presidet, in honore sanctae Dei genitricis MARIE, beatique Kyliani martyris, nec non confessoris Christi Liborii constructae, illa predia que habuerunt Bernhart et soror eius Hazecha in locis Alflaan et Etlinun sita, in pago Paderga, in comitatu Amulungi, cum aliis omnibus illuc pertinentibus, et cum omni utilitate que uel scribi aut nominari ullo modo ualet, cum mancipiis utriusque sexus, cum areis, aedificiis, agris, campis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, siluis, uenationibus, aquis aquarumue decursibus, punctionibus, molis, molendinis, uiis et inuiis, exitibus et redditibus, quesitis et inquirendis, perpetualiter habenda donauimus, ea ratione ut prefatus episcopus suique successores de eisdem prediis nobis imperiali iure hereditatis libera-ram dehinc habeant potestatem, quicquid sibi placuerit faciendi, ad utilitatem tamen ecclesie sue, omnium contradictione remota. Et ut hec nostrae traditionis auctoritas stabilis et inconuulsa omni permaneat oeo, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes, sigillo nostro insigniri iussimus.

*Signum domini Chuonradi inuictissimi Romanorum (L. M.) Imperatoris augusti.*

*Ödalricus cancellarius uice Aribonis archicapellani recognouit.*

Data XIII. Kal. FEBR. Indictione XIII<sup>a</sup>. Anno dominicae incarnationis M. XXXI<sup>o</sup>. anno uero domini Kuonradi secundi regnant. VII<sup>o</sup>. Imperii autem III<sup>o</sup>. Actum ALTSTETE.

Das Siegel ist das bereits beschriebene.

### CXIX.<sup>1)</sup>

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Chuonradus Dei ordinante clementia Romanorum Imperator augustus. Omnia Dei nostre fidelium uniuersitati notum esse || uolumus, qualiter nos diuinae mercedis ob intuitum, nec non <sup>2)</sup> per interuentum <sup>3)</sup> dilectissimae contextalis nostrarae GiSeLae imperatricis augustae simul etiam dilecti filii nostri regis Heinrici, <sup>4)</sup> et iuge seruicium Meginuerchi Patherburnensis aeccliesiae episcopi sepissime nobis fideliter impensum, eidem aeccliesiae in honore sanctae Dei genitricis Mariae ac sancti Kyliani martyris et sancti Liborii episcopi et confessoris constructae, preedium Bennanhussen, Ualabroch, Dadanbroch, situm in pagis Wetiga et Tilithi in comitatu Widukindi, <sup>5)</sup> cum omnibus ad ipsum preedium iure ac legaliter pertinentibus, <sup>6)</sup> cum mancipiis utriusque sexus, cum areis, aedificiis, agris, campis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, siluis, uenationibus, aquis aquarumue decursibus, punctionibus, molis, molendinis, uiis et inuiis, exitibus et redditibus, quesitis et inquirendis, seu cum omni utilitate, quae uel scribi aut nominari ullo modo potest, in proprietatem condonauimus, et de nostro iure ac dominio in eiusdem aeccliesiae ius ac dominium omnino transfundimus, ea uidelicet ratione, ut prenominatus <sup>7)</sup> episcopus eiusque successores de eodem predio liberam posthac potestatem habeant tenendi, commutandi uel quicquid sibi utilitatis aeccliesiae placuerit faciendi, omnium hominum contradictione remota. Et ut

<sup>1)</sup> Die nur abschriftlich noch erhaltene Schenkungsurkunde über Heinhusen u. s. w. von gleichem Datum, kommt mit der vorliegenden in der Fassung grösstenteils überein, und zeigt nur die unten angegebenen Verschiedenheiten.

<sup>2)</sup> diuinae — non fehlt.

<sup>3)</sup> ob interu. et peticionem

<sup>4)</sup> nec non et Heinr. reg. dil. filii nostri

<sup>5)</sup> pred. Heinhusen, Winiden, Windelmuiderode, Aldendorp, Rübertessen, Sunderessen, Nisa, Hameressen, situm in pago Auga in comitatu Cunradi,

<sup>6)</sup> hier ist eingeschaltet: Haikonem et Richaldum cum suis omnibus.

<sup>7)</sup> idem

nostrae traditionis auctoritas stabilis et inconulsa per antiqua seculorum curricula permaneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes, sigilli nostri impressione iussimus sigillari.

*Signum domni Chuonradi inuictissimi Romanorum Imperatoris (L. M.) augusti.*

*Ódalricus cancellarius uice Aribonis archicapellani recognoui.*

Data XI. Kal. Marcii, Indict. XIII. Anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>. XXXI<sup>o</sup>. anno uero domni Chuonradi secundi regnantis VII<sup>o</sup>. Imperii autem III<sup>o</sup>. Actum Goslare.

Das Siegel ist verloren gegangen.

## CXX.

Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Cunradus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. Si ulli ex nostris pontificibus sui fidelis seruicii non immemores aliquid ex hiis quae nostri iuris deputantur benigno animo inpendimus, eum postea in nostro oramine et seruimine promptiorem et multo studiosiorem existere procul dubio credimus. Quapropter omnibus Christi nostrique amatoribus presentibus scilicet ac futuris perspicuum esse uolumus, qualiter Wicilo nostram adiit serenitatem, humiliter rogans ut preedium Sannanabiki dictum, in istis uillis. Hornan. Frodinctorp. Vinesbiki. Rafseti. Knechtahusen. Buckinhusen. Bennanhussen. Scuni. Berchem. Homan. Holthusen. situm, sua uxorisque suae Odae filiaeque suae Ceciliae nec non Gerburch filiique eius Hodonis petacione ac collaudatione, ad nostram imperialem manum recipere curaremus, preedium Zurici quod nostrae fuit proprietatis illorum econtra subiugantes dicioni. Horum igitur desiderio primatum nostrorum satisfacientes consilio, id quod illorum ius quod nostri erat iuris amicabiliter remisimus. Transactis autem ita hiis omnibus, predictum preedium Sannanabiki, quod tunc nostrae iudicabatur esse proprietatis, in comitatu Widukini in pago Wetiga situm, cum omnibus utilitatibus ad idem pertinentibus, areis, aedificiis, agris, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, campis, siluis, uenatibus, aquis aquarumue decursibus, piscationibus, molis, molendinis, uiis et inuiis, exitibus et redditibus, quesitis et inquirendis, ob amabilem coniugis nostrae Gislae imperatricis augustae interuentum, et ob minime denegandam dilectissimae prolis nostrae Heinrici regis petacionem, nec non Herimanni marchionis, Meinuuero uenerabilis uitae episcopo suaeque aecclesiae in sanctissimae Dei genitricis Mariae et preciosissimi martyris Kyliani nec non gloriosissimi confessoris Liborii honorem constructae, eo tenore in proprium tradidimus, ut ipse suique successores de eodem liberam deinceps habeant potestatem tenendi, tradendi, uendendi, commutandi, uel quicquid placuerit sibi faciendi, ad utilitatem tamen predictorum sanctorum aecclesiae. Recordati sumus namque non in hoc tantum, sed in aliis sibi adhuc Deo uolente a nobis tradendis prediis, quod suum assiduum seruicium deuotius et ceteris nostris pontificibus frequentius, non quasi uno, sed fere in omni tempore certum habuimus. Et ut haec nostrae tradicionis auctoritas stabilis et inconulsa per labentia temporum curricula obseruetur, hoc preceptum inde conscriptum subtus manu propria confirmauimus et corroborauimus ac sigilli nostri impressione diligentius insigniri precepimus.

*Signum domni Cunradi inuictissimi Romanorum Imperatoris augusti. (L. M.)*

*Ódalricus Cancellarius recognouit.*

Data III. Non. Augusti, Indictione XIII. Anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>. XXXI<sup>o</sup>. anno autem domni Cunradi secundi regnantis VII<sup>o</sup>. Imperii uero V<sup>o</sup>. Actum Immeteshusun.

## CXXI.

Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Chuonradus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. Nouerit omnium Dei nostrique fidelium presentium scilicet ac futurorum industria, qualiter nos fideli nostro Meginuuero Paderburnensi episcopo et aecclesiae cui ipse Deo donante presidet, ob interuentum et petitionem dilectae coniugis nostrae Gislae Imperatricis augustae et amantissimae nostrae prolis Heinrici regis et Egilberti Frisingensis aecclesiae uenerabilis episcopi, nec non ob suum frequens et deuotum seruicium, quandam nostrae proprietatis curtem Gardenebiki nominatam, situm in pago Lacni in comitatu Herimanni comitis, cum omni sua integritate, uel quicquid predii habuimus in uillis Huuinadal, Molduggane, Liudulueshusun, situm in eodem pago et in comitatu prenominati H. comitis, cum omnibus ad idem pertinentibus, cum areis, aedificiis, mancipliis utriusque sexus inibi habitantibus, agris, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, campis, siluis, uenationibus, aquis aquarumue decursibus, punctionibus, molis, molendinis, uiis et inuiis, exitibus et reditibus, quesitis et inquirendis, seu cum omni utilitate quae aut scribi aut nominari potest, in proprium tradidimus et de nostro iure ac dominio in suum ius atque dominium omnino transfundimus, eo quoque tenore, ut predictus fidelis noster M. episcopus, siue longe siue prope sit, nos suae seruitutis non immemores esse recognoscet, et ut ipse suique successores de supranominatis prediis liberam deinceps potestatem habeant tenendi, tradendi, uendendi, commutandi, uel quicquid placuerit faciendi ad usum tamen prenominatae suae aecclesiae in honore sancti Liborii constructae et consecratae. Et ut haec nostrae tradicionis auctoritas stabilis et inconuulsa omni tempore perseveret, hoc preceptum inde conscriptum subtusque manu propria roboratum sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

*Signum domni Chuonradi inuictissimi Romanorum Imperatoris augusti. (L. M.)*

*Odalricus cancellarius ad uicem Bardonis archiepiscopi recognouit.*

Data XV. Kal. Febr. Indictione XV. Anno dominicae incarnationis Millesimo XXXII<sup>o</sup>. anno autem domini Chuonradi secundi regnantis VIII. Imperii uero V. Actum Hiltiuardeshusun feliciter Amen.

## CXXII.\*

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Chuonradus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. || Quia nos diuina disponente clementia ceteris supereminemus mortalibus, oportet vt cuius munere precellimus, eius quoque uoluntati omnibus modis parere studeamus. Quapropter omnibus Christi nostrique fidelibus presentibus scilicet ac futuris notum esse uolumus, qualiter nos ob interuentum ac petitionem dilectae coniugis nostrae Gislae imperatricis augustae et filii nostri Heinrici regis, et Egilberti Frisingensis aecclesiae episcopi, fideli nostro Meginuuero Bodrebrunnensi uenerabili episcopo, et ecclesiae in honore sanctae Dei genitricis MARIE et sancti Kiliani martiris et sancti Liborii confessoris constructe et consecrate; cui ipse Deo donante presidet, omnem potestatem comitatus, quam Herimannus comes in istis tribus pagis, Auga, Netega, Hessiga, habet, cum omni iure ad eundem comitatum iuste ac legaliter pertinente, et omnia predia in eisdem pagis ad nostras manus habita et postmodum acquirenda, cum omnibus ad eadem merito aspicientibus, cum areis, aedificiis, mancipliis, agris, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, campis, siluis, uenationibus, aquis aquarumue decursibus, punctionibus, molis, molendinis, uiis et inuiis, exitibus et reditibus, quesitis et inquirendis, seu cum omni utilitate quae ullo modo inde prouenire poterit,

\* Das sehr beschädigte und verstümmelte Original ist mit Hilfe einer alten Abschrift ergänzt.

per hoc nostrum imperiale preceptum in proprium donauimus atque largiti sumus, omnium hominum contradictione remota, eo quoque tenore vt predictus fidelis noster M. episcopus, siue longe siue prope sit, nos suę seruitutis non immemores esse recognoscat, et ut ipse suique successores de eisdem prediis liberam deinceps potestatem habeat tenendi, tradendi, uendendi, commutandi, uel quicquid placuerit faciendi, ad usum tamen prenominatea aecclesiae. Haec uero donationis auctoritas vt in Dei nomine pliores obtineat firmitates, manu propria subtus eam firmauimus, sigilloque nostro insigniri iussimus.

*Signum domni Chuonradi inuictissimi Romanorum imperatoris (L. M.) augusti.*

*Ödalricus cancellarius ad uicem Bardonis archiepiscopi recognouit.*

Data XV. Kal. Feb. Indictione XV. Anno dominicae incarnationis Millesimo XXX.II. Anno autem domni Chuonradi secundi regnantis VIII. imperii uero V. Actum Fritislare feliciter amen.

Das Siegel ist verloren gegangen.

### CXXIII.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Chōnradus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. || Sicut nos ex promptis et assiduis seruiciis fidelium nostrorum gaudemus, ita quoque dignum et iustum esse nobis uidetur, vt eos de condignis suis premiis gaudere faciamus. Quapropter comperiat omnium Dei nostrique fidelium presentium scilicet ac futurorum industria, qualiter nos ob interventum ac petitionem dilectę coniugis nostrae Gislae imperatricis augustae, et karissimi filii nostri Heinrici regis, fideli nostro Meginuercho venerabili episcopo et aecclesiae cui ipse Deo donante presidet in honore sanctae Dei genitricis Mariae et sancti Kiliani martyris sanctique Liborii egregii confessoris constructę, sex mancipia, quorum haec sunt nomina. Thiehardus pbr. Liuza. Heregrim. Ethilier. Athaluard. Wicburch. cum omnibus suis substantiis per hoc nostrum imperiale preceptum perpetualiter in proprium tradidimus et de nostro iure ac dominio in suum ius atque dominium omnino transfudimus atque largiti sumus, eo quoque tenore, vt predictus fidelis noster Meginuerchus episcopus suique successores de eisdem mancipiis liberam deinceps potestatem habeant uendendi, tradendi, commutandi, uel quicquid sibi placuerit faciendi, ad usum tamen sue ecclesiae Bodrabrunnensi nominatae. Et ut haec nostrae traditionis auctoritas plena in Dei nomine habeat firmitates, hanc cartam inde conscriptam subtusque manu propria roboratam, sigillo nostro insigniri iussimus.

*Signum domni Chōnradi inuictissimi Romanorum imperatoris (L. M.) augusti.*

*Ödalricus cancellarius uice Bardonis archiepiscopi recognouit.*

Data XII. Kal. Sept. Indictione XV. Anno dominicae incarnationis Millesimo XXXIIº. Anno autem domni Chōnradi secundi regnantis VIII. Imperii uero VI. actum Magadeburc.

Das Siegel ist das schon beschriebene, aber zerbrochen.

### CXXIV.

Aus dem Kopialbuche des Domstifts zu Paderborn.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Chuonradus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. Omnibus Christi nostrique fidelium uniuersitati notum esse uolumus, qualiter nos ob interventum ac petitionem carae coniugis nostrae Gizalae uidelicet Imperatricis augustae nec non et dilecti filii nostri Heinrici regis, et Meinuerci Paderbrunnensis aecclesiae episcopi fidele seruicium nobis secundum nostrum uotum frequentissime impensum, quoddam nostri iuris premium in pago Rietega et

in comitatu Udonis comitis situm, cum mancipiis utriusque sexus, quorum haec sunt nomina. Wiga et uxor eius Olika et filius eius Albern et soror eius Athelbilt. Volclach et filius eius Buua et soror eius Gele. et cum omni lege ad idem premium iure pertinente, areis, aedificiis, agris, pratis, terris cultis et in cultis, pascuis, siluis, uenationibus, uiis et inuiis, aquis aquarumue decursibus, punctionibus, molendinis, quesitis et inquirendis, omnique utilitate quae scribi aut nominari potest, ad monasterium sanctae Mariae et sancti Chiliani sanctique Liborii tradidimus in proprium perpetualiterque ibi existendum, eo uidelicet tenore ut eiusdem sacrae sedis episcopus suique successores liberam inde habeant potestatem tenendi, tradendi, uendendi, commutandi, uel quicquid sibi placuerit faciendi, ad usum tamen eiusdem aeccliae. Ad haec sub eadem precepti auctoritate tria mancipia, quorum haec sunt nomina. Emma. Sicca. Vorthubreht. ad predictum monasterium in proprium tradidimus. Et ut haec nostrae tradicionis auctoritas stabilis et inconulsa per omnium curricula annorum permaneat, hoc preceptum inde conscriptum subitusque propria manu nostra confirmatum, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domini Chuonradi Romanorum Imperatoris inuictissimi. (L. M.)*

*Burchardus cancellarius uice Bardonis archicapellani recognouit.*

Data III. Id. Maii, anno dominicae incarnationis Millesimo XXX<sup>o</sup>III<sup>o</sup>. Indictione I. anno autem domini Chuonradi secundi regnantis VIII. Imperii VI. Actum Nouiomago feliciter amen.

### CXXV.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Chuonradus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. || Si in monasteriis construendis studium habuerimus aut aliis in idem conspirantibus uotum prebuerimus assensum, non solum ad temporalis uerum etiam ad aeterni regni commodum hoc nobis pro futurum esse non ambigimus. Qua propter notum sit omnibus Christianae religionis presentibus scilicet atque futuris, qualiter nos ob interuentum ac petitionem dilectę coniugis nostrae GISELAE imperatricis uidelicet augustae, et amantissimae nostrae prolis HEINRICI regis, nec non ARIBONIS Mogontinensis aeccliae archiepiscopi et PILIGRIMI Coloniensis aeccliae archiepiscopi, simul etiam cum consensu omnium nostrorum fidelium qui tunc temporis ibi affuerunt, SIGEBERTO Mindunensis ecclesię episcopo inibi construendi monasterii in honore sancti MARTINI licentiam concessimus. Insuper omnium nouerit industria, qualiter eiusdem sedis episcopus curtiferum I. in quo idem monasterium et claustrum cimiteriumque sunt constructa, et curtifera VI. ex utraque parte monasterii, et salicę telluris III. mansos cum sui iuris predio id est mansis XII. de monasterii sancti PETRI proprietate in istius sancti MARTINI monasterii ius ac potestatem commutauerat. In loco enim Hildiuardingahusun dicto et in aliis uillis ad eundem locum iure pertinentibus VIII. pro commutatione dedit mansos, et in Chizzindorf II. mansos. In Lohe I. m. In Westirbracha I. m. Et in his IIII. locis XXV. mancipia. Fratribus autem ad idem sepedictum monasterium Deo seruientibus in utilitatem tradidit quoddam premium Chemmin dictum, quod ob interuentum nostre dilectę coniugis G. nostręque prole H. regis de nostro iure in suum ius atque potestatem suscepit. Insuper etiam ad Rotherisdorfa uini decimationem, quam de nobis acquisiuit, in eorundem fratum usum concessit.\*). Aliud autem in eodem loco uinetum suis in utilitatem decreuit successoribus, ea uidelicet ratione, vt in vini decimatione nullam iniustiam aut molestiam inferant fratribus, et quando de illo bibant uino hoc intendant, quia prius ad omnem episcopatum suum tantum non habuerunt uini quantum sciphus capere potest, ideoque frequentiores sint ad Deum intercessores nostri dilectę coniugis nostrae G. et prole nostrae H. regis, quorum petitione hęc ipsa uineta S. prelibatę sedis episcopo in proprietatem tradidimus. Quin etiam idem

\*) Vgl. die Urkunde des Bischofs Siward, b. Würdtw. T. VI. p. 332.

episcopus ad prescriptum sancti Martini monasterium alia quę sui iuris erant loca tradidit, id est Egisberun, Wolgatingahusun, In Diotanusun I. mansum et utilitatem siluae, et tale preedium quale habuit ad Nianburg. Insuper etiam ad Vbhusen III. m. In Loha I. m. In pago etiam Lainga in villis Triburin, Stocheim, Helingabursta, Holinbeke, VI. m. In pago quoque Marstem in villa quę dicitur Brunhildisdorf II. m. et in Humpida I. m. et in Oride II. m. et in Volkeressun II. m. In pago Cizide. In villa Herisiuroda II. m. In Mundebure I. m. cum utilitate salis. Item in Munnere curtiferum I. cum utilitate salis. In Bodukun I. m. In Bedmincburun III. m. In Uuoluaradingahusun curtiferum I. cum utilitate siluae. In Eildissun curtiferum I. cum utilitate siluae. In Haddenhusun dimidium mansum. In Ekishusun II. m. In Nitalstete I. m. In Rodun I. m. In Holzhusun III. m. In Lippeke curtiferum I. cum utilitate silue. In Retbere dimidium m. In Sueuerdun III. m. et salicę telluris II. m. et dimid. In Honredere VI. m. et dimid. In Eddorunhusun II. m. In Morsilen unum mansum. In Nitalstete X. m. cum omni utilitate illuc pertinenti. In Weluen III. m. Ad hec prenotata loca omnia predia quę tunc temporis sub suo iure habuit aut postea acquisiuit, vel etiam iusto concambio horum predictorum locorum commutatione, vel alia iuris ordinatione recepit preter illa quę ad alia delegauerat monasteria, ad prefatum sancti M. monasterium, cum mancipiis, villis, areis, aedificiis, agris, terris cultis et incultis, uiis et inuiis, exitibus et reditibus, quęsitis et inquirendis, pratis, pascuis, siluis, uenationibus, aquis aquarumue decursibus, piscationibus, molendinis et utilitate siluarum, nec non cum omnibus appendiciis quę dici aut nominari possunt, tradidit perpetualiter ibi existenda. Sed ut idem monasterium in maiori securitate esset positum, et ut bona illuc data minus ab eius successoribus uel ab aliis dissiparentur, in mundiburdio monasterii sancti PETRI collocauit, et ut per singulos annos eidem monasterio censem id est V. solidos soluat decreuit. Quin etiam constituit ut semper in festiuitate sancti M. eiusdem sedis episcopus cum fratribus monasterii sancti P. ad predictum monasterium ueniat ut sollemnia missarum celebret et alia ostendendo caritatem adimpleat. At si aliquid aliud ipsum adesse impedit, fratres ibi conueniant et eadem simul faciant, ut hoc modo concordia et amicitia inter illos solidetur. Et per hanc mutue caritatis exhibitionem in Dei seruilio unanimes coaptentur. Ad hec notum sit omnibus, qualiter id ipsum sancti M. monasterium et fratres inibi Deo seruientes sub nostra imperiali filiique nostri H. aliorumque nostrorum successorum tuitione defendi uolumus, sic scilicet ut nullus eius successor potestatem habeat, bona eiusdem monasterii aliquo modo destruere aut aliquid de bonis eisdem auferre, quia prescriptus episcopus S. idem monasterium a fundamento edificeare cepit et nulla alia predia illuc tradidit, nisi quę de nostro dono in suum ius acquisiuit aut per se absque ulla contradictione proprietatis iure tenuit. Idcirco si quis eiusdem destructor est monasterii aut predictorum dissipator bonorum, uere sciatur quia eidem monasterio fratribusque ibidem Deo seruentibus in nobis nostrisque successoribus certum est inde refugium. Et ut hoc nostre concessionis preceptum per omne tempus stabile permaneat et inconuulsum, hanc paginam inde conscriptam subtusque manu propria corroboratam, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domni Chuonradi Romanorum Imperatoris (L. M.) inuictissimi.  
Burchardus cancellarius uice Pardonis archicancellarii recognouit.*

Data VI. Non. Jul. Anno dominicae incarnationis M. XXX. III. Indictione I. Anno autem domni Chuonradi secundi regnantis VIII. Imperantis uero VI. Actum Mersiburch feliciter amen.;.

*Das Siegel ist zwar abgefallen, liegt aber lose und fast noch unversehrt bei der Urkunde. Es ist das schon beschriebene.*

## CXXVI.

**C.** In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Chuonradus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. || Notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus, presentibus ac futuris, qualiter antecessor noster beatæ memoriae Heinricus imperator, cuius semper animus in Dei ecclesiis meliorandis et amplificandis inuigilauit, Paderbrunnensis paupertatem miseratus ecclesiae, multa ei bona tam in p̄diis quam in aliis facultatibus larga manu pro Dei amore dilectique sibi presulis Meginwerci assiduo et deuotissimo obsequio contulit. Inter quae etiam comitatum Duodiconis quondam comitis eidem ecclesiae imperiali munificentia legitime donauit, tradidit, delegauit. Illo autem antecessore nostro defuncto, nos qui loco illius in regnum surreximus, per suggestionem Magontini presulis, eundem comitatum a prefata ecclesia tulimus, et in ius Magontinę ecclesiae, rudes adhuc in regno, iniusto persuasi consilio irrationabiliter transculimus et transmutauimus. Imperiali autem nostra potestate Dei gratia magis magisque in regno confirmata et corroborata, Meginwercus presul imperatorum deuotissimus seruitor et amator, Marthae sedulis satagens obsequiis, non cessauit, non queuit, supplicando, seruiendo, quoadusque nos, omnipotentis Dei in cuius manu corda sunt regum commoniti instinctu, dilectaue coniugis nostrae Gisele nec non Heinrici filii nostri magnifici regis interuentu, ecclesiae suae scilicet Paderbrunnensi, totum Bernhardi comitis quondam comitatum, qui situs est in locis Hesse, Nitergo, Netgo, Ohteresgo, legitima traditione reddidimus, restituimus, redonauimus. Precauentes autem nos et precogitantes, ne aliqua postmodum inter ipsas ecclesias de hac re controuersia fieret et discordia, Magontinæ ecclesiæ comitatum qui situs est in Cluininga propter pacis confirmationem imperiali nostro iure concessimus, et hoc nostra parte ita est compactum sive definitum, ut neutra ecclesiarum illarum aliquid de predictis rebus sibi inquisitis aliquomodo patiatur detrimentum. Si quis autem diabolica suasione seductus, hanc nostram traditionem in aliquo infringerit, sciat se odium Dei sanctorumque eius habiturum, et M. lib. auri puri compositurum, medietatem camerae nostrae, et medietatem predictę Paderbrunnensis ecclesiae rectori. Quod ut uerius credatur et diligentissime ab omnibus in perpetuum seruetur, preceptum hoc inde conscriptum manu propria subtus firmauimus et sigillo nostro insigniri iussimus.

*Signum domni Chuonradi Romanorum imperatoris (L. M.) inuictissimi.  
Burchardus cancellarius vice Bardonis archicapellani recognouit.*

Datum III. Non. Aug. Indictione I. anno dominice incarnationis M. XXX. III, anno autem domni CHUONradi secundi regnantis VIII. imperantis VII. actum Lintburg feliciter. Amen.

*Das Siegel war mit schmalen ledernen Riemen angehängt, ohne Zweifel also ein Metallsiegel; ist aber verloren gegangen.*

## CXXVII.

*Aus einem alten Güter-Verzeichnisse, verglichen mit dem Kopialbuche des Stiftes Bussdorf.*

IN HONORE SANCTAE TRINITATIS ET INDIVIDVAE VNITATIS. Notum sit regiae potestati omnique pontificali dignitati cunctoque ecclesiastico ordini uniuersoque populo christianaे fidei signato, Quod ego Meinuuercus peccator, anno ab incarnatione Domini Millesimo Trigesimo sexto, licentia Serenissimi Imperatoris Cūnradi, ac consensu Maguntini archiepiscopi Bardonis, Coloniensis archiepiscopi Herimanni, Wercebburgensis episcopi Brunonis, cepi construere ecclesiam extra Patherburnensem ciuitatem in orientali parte positam, ad similitudinem sanctae Iherosolimitanae ecclesiae, et ob honorem sanctae Dei genitricis et perpetue uirginis MARIAE ac beatorum apostolorum Petri et Andreae, pro illa obtainenda celesti Iherusalem. In hac autem ecclesia canonicos Deo seruientes congregauit, quibus uictum et uestitum de propriis bonis ministraui. In die autem sanctificationis ecclesiae, benedictione peracta, ante missarum sollempnia, sermone

ad populum finito, more aliarum ecclesiarum Deo consecratarum dotaui eam, dans curtem unam in Thel-  
den, quam ex hereditate paterna possedi, duas precarie acquisitas, unam in Wellethe, alteram in Esbike, et  
unum voruuerc in Essike, unam curtem in Valle. Quia uero de predio in confinio tantum non habebam, ut  
sufficere posset ad usus ecclesiae ac Deo seruientium in ea, consilio fidelium meorum accepto, decimas  
subter scriptas de dominicalibus curtibus ad me pertinentibus eidem ecclesiae dedi. Quarum prima est Euenhus  
et tredecim voreuuerc ad eam pertinentes. Stidenen. Benedeslo. Colstide. Dedinchusen. Heddinchusen. Dalen.  
Henkeldere. Hylamare. Suaueren. Barchusen. Brochusen. Balhornen. Patherburna. Suthem et tres voruuerc ad  
eam pertinentes. Kerecthorp. Holthem. Syuuardissen. Nyenhus et quatuor voruuerc ad eam pertinentes. Elesen.  
Ascha. Burch. Tune. Bekena et quatuor voruuerc ad eam pertinentes. Henke. Eluere. Brochusen. Aslen. Barchusen  
et quinque voruuerc ad eam pertinentes. Orlinchusen. Meginchusen. Burchusen. Hepyn. Ykamannincthorp. Byke-  
seten<sup>1)</sup> et tres voruuerc ad eam pertinentes. Hyse. Vnrikissen. Ekama. Heligenkerken et duo voruuerc ad eam  
pertinentes. Aldenthorp. Bardincthorp. Lugehe et duo voruuerc ad eam pertinentes. Dodenbroke. Breca. Hegen-  
husen et quatuor voruuerc ad eam pertinentes. Rothbagtissen. Berga. Holtisminne duo. Ogenhusen et sex vor-  
uuerc ad eam pertinentes. Sendenebyke.<sup>2)</sup> Homa. Sastincthorp. Stenhem. Hardincthorp. Lo. Nyhem et quatuor  
voruuerc ad eam pertinentes. Malride. Leuerincthorp. Pumesen. Baddenhusen. Herstelle et quinque voruuerc  
ad eam pertinentes. Wergis. Thesle. Brecal. Heinriadassen. Buffesen. Dasburch et duo voruuerc ad eam  
pertinentes. Dasburch. Ostnedere. Vuartherch et tres voruuerc ad eam pertinentes. unum in ipsa villa.  
Westnedere. Ostdagesen. Culete et tres voruuerc ad eam pertinentes. unum in ipsa villa. Vorste. Rothen  
Hersuithehusen et tres voruuerc ad eam pertinentes. Asle. Bylinchusen. Teninchusen. Curbyke<sup>3)</sup> et quatuor  
voruuerc ad eam pertinentes. Dalunic. Enshe. Item Eushe. Lenkeuelde. Vilese et unum voruuerc ad eam  
pertinentem. Vernethe. Ebike que est iuxta Horste. Ipsi autem uillicis qui domos has predictas inhabitant,  
uel hiis qui post eos ponendi sunt, nichil omnino pretermittentes, nisi Quindecim Iugera pro uestitu, alia  
uero que laborauerint in agro uel nutrierint in domibus, tam propria sua que habent aut postea Deo an-  
nuente possessuri sunt, quam ad nostram potestatem pertinentes, quadrupedia siue pennata, more solito  
absque ulla contradictione addecimarent. Ut ergo nulla ex hiis pretermitterem,<sup>4)</sup> que mihi a Deo data  
erant, dedi etiam decimam in Synatha super armenta mea et super examina apum, fideliter Deo et do-  
mino Ihesu Christo sanctoque spiritui offerens uota mea. Si quis autem eorum qui uidentur hiis omnibus  
preesse, presumtuose hanc nostram tradicionem per malam uoluntatem aut propter nequiciam cordis sui  
irritauerit, et secundum nostram dispositionem decimam non dederit, dicens se non iuste daturum, et hoc  
a procuratore fratrum, uel ab ipso preposito loci, uel quod maius est a communi fratum querimonia  
proclamatum fuerit, si ministerialis noster huius rei rector est, iuramento se in reliquiis nostris purgabit,  
si lito, iudicio ferri igniti synodali sentencia se liberabit. Ne uero alicui successorum meorum non bonae  
uoluntatis uiro, neque amorem Dei in corde suo retinens, mensae suae stipendia diminuisse uidear, sciat  
has decimas me et de hereditariis et de acquisitis bonis centies restituisse. Ponebam etiam terminum ut  
unaquaeque solet habere ecclesia, audiente clero meo cunctoque populo congregato, nullo contradicente  
sed magis uoluntati me in omnibus consentiente, confitente uniuerso clero haec omnia sine ulla contra-  
dictione posse fieri, in primis villam hanc que dicitur Aspethera, aliam que uocatur Hildelinchusun, terciam  
que uocatur Haxsuithehusun, Quartam Hohensile que uulgari uerbo dicitur Quedun, Quintam Esbegtinchusun.  
Super haec omnia cum non possent habere utilitatem ullam siluarum, potestate episcopali dedi eis in Benedeslo,  
et in Marchiis Thornethorum, Rentinchusorum, Hildelinchusorum, Aspetharorum, in una quaeque ebdomada  
pondera sex plaustrorum. Dedi etiam ad honorem et utilitatem ecclesiae partem Sunderae me in orientali  
plaga uiae quae uadit ab urbe ista usque in Esbegtinchusun. Sciat namque fidelis in Domino frater nostri

ordinis locum nostrum possessurus omnisque ecclesia catholica, hiis literis **M** et **S** a me priuilegium

<sup>1)</sup> Das Cop. schreibt Bekeseten. <sup>2)</sup> Sandenebeke. <sup>3)</sup> Curgebeke. <sup>4)</sup> premitterem.

hoc signatum, propriis manibus meis sigillatum, peractaque benedictione sepulchri et altaris antepositi, Octauo Kal. Junii, missa celebrata, filii ecclesiae traditum, ea uidelicet ratione, ut si quando tribulacionem seu contradictionem harum rerum prenominatarum ab aliquo patientur, scripturarum testimonio ueritas approbetur. Tradicionem autem hanc si quis successorum meorum aut consanguineorum seu posterorum eorum a quibus precario partem quandam acquisieram infringere voluerit, Beatorum apostolorum Petri et Andreae, et episcoporum Bardonis, Herimanni, Brunonis, quorum testimonium priori introduximus loco, nostroque banno et omnium animarum Deo consecratarum in secundo, cum uenerit Dominus unicuique operum suorum premia redditurus, cum Juda traditore anathemate feriatur perpetuo. Qui autem post instinetum Dei patris omnipotens ex nostris interfueret, quorum consilio auxilioque haec omnia perfecerim, paucis notabo nominibus. Sigehardus abbas Patherburnensis. Vuino abbas Helmuordishusensis, qui mensuras ecclesiae et sepulchri de Iherusalem apportauit. Hosadus prepositus matris ecclesiae, et frater eius Vffo. Dodico decanus. Bouo prepositus loci istius. Becelinus camerarius. Eppo dapifer. Eizo. Geylo. fratres et pincernę. Eue et filii eius. Landico et Eue. Dudo. Tydman de Euenhus. Aldericus de Nyenhus.

### CXXVIII.

E Strunckii not. crit. msct. ad Schatenii annales.

In nomine Jesu Christi Domini nostri. Ego indignus seruus Dei Herimannus episcopus ecclesiam quę est in Ludinghuson, anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. XXX<sup>o</sup>. VII<sup>o</sup>. Indictione Va. V. Idus Julii, in honorem Domini nostri Jesu Christi et sanctę eius genitricis perpetue uirginis Marie et sancti Stephani protomartyris et sanctę Felicitatis matris et septem filiorum eius dedicaui. Et cum ipse uenerabilis abbas Geroldus de monasterio sancti Liudgeri, ad quod pertinet hęc ecclesia, presens adesset, et propter fraternitatem nostram me rogaret, ut predictę ecclesię et bonis eius firmissimam pacem metuendo anathemate facerem, hoc etiam rogauit, ut ita liberam dimitterem de decimis, sicut dimissa fuit ab omnibus antecessoribus meis, ita uidelicet ut quoquaque mansos uel agros in hoc episcopatu tunc haberet uel post habitura esset, libere et sine omnibus decimis possideret. Cuius petitioni ego in primis per amorem sancti Liudgeri, deinde per honorem nostrę fraternitatis libenter satisfaciens, eodem modo prefatę ecclesię concessi, et fortis anathemate confirmaui, ut nullus, quod omnino absit, de successoribus nostris uel aliis quibuslibet personis hoc immutet uel infringat. Quod ego, quamuis peccator, exemplum bonorum qui hoc prius concesserant secutus renouauit, et hoc presens manuscriptum abbati et ecclesię sancti patris nostri Liudgeri coram omni populo tradidi.

### CXXIX.

IN NOMINE SANCTE ET INDIUIDUE TRINITATIS. ROTHO DEI GRATIA PATHERBRUNNENSIS ECCLESIE EPISCOPUS. || Pastoralis officii cura nos ammonet, de subiectorum quiete et salute sollicite cogitare, et ecclesiarum commissarum profectui, augmento honestatis, prospectu utilitatis, sollerter inuigilare. Vnde omnium fidelium Christi tam presentium quam futurorum nouerit uniuersitas, qualiter dominus Meinwercus uenerabilis huius Sanctę sedis episcopus predecessor meus, se suaque omnia diuino seruicio pro eternitatis amore mancipare gaudens, inter multimoda pię deuotionis et intentionis opera, auctoritate, consilio, auxilio gloriissimi imperatoris Heinrici secundi, monasterium in suburbio ciuitatis huius construxit, quod in honore beatę MARIE perpetue uirginis sanctorumque APOSTOLORUM PETRI et PAVLI et omnium Sanctorum consecrans, et fratres sub beati Benedicti regula domino famulantes in eo coadunans, in dotem et mundiburdum ipsius bona quę hereditario iure possederat, uel aliunde sua instantia legitime obtinuerat, solempniter tradidit, delegauit, concessit. Cuius laudabile studium ut numero et merito omni tempore habeat augmentum et ecclesiastice defensionis firmamentum, omnia eidem monasterio canonice collocata et firmata,

in thesauro, ornatu, ecclesiis, bannis, decimis, curtis, mansis, areis, edificiis, mancipiis utriusque sexus, cum omnibus ad hęc legaliter pertinentibus, mobilibus et immobilibus, licentiam quoque liberam secundum Dei timorem eligendi abbatem, tam regulari quam episcopali auctoritate ipsius monasterii fratribus concessam, animarumque curam et sepulturam in hominibus dumtaxat ad ipsum monasterium pertinentibus siue eciam in possessione eius degentibus, nostra pontificali auctoritate et banno confirmamus et corroboramus, quatinus fratres inibi sub regulari norma domino seruientes, omnium hominum exactione et inuasione remota, communi hęc usui et honori profutura possideant, et nostri nostrorumque successorum in orationibus suis memores existant. Cuiuscunque ergo condicionis uel religionis persona quolibet modo uel ingenio hęc uiolare uel annullare presumpserit, anathema sit, et cum suis fautoribus, auctoribus, sequacibus, a liminibus sanctę ecclesię tamquam sacrilegus, inuasor ac destructor segregatus, omnipotentis Dei, patris scilicet et filii et spiritus sancti, iram et offensam contra se sentiat, et beatę MARIE perpetuę uirginis sanctorumque Apostolorum PETRI et PAVLI et omnium Sanctorum, quorum presumit confundere ecclesiam, in hac uita et in futura, si non uelociter resipuerit, furorem repperiat. Omnes autem decreti huius fautores et prefati monasterii defensores et tutores, omnipotens dominus sua gratia benedicat, et meritis omnium sanctorum a peccatorum vinculis absolutos, ad eterna gaudia perducat. Cunctis eciam in eodem loco pro eterne beatitudinis desiderio militantibus, ueniat a Deo patre salus et protectio, et laborum suorum eterna remuneratio.

Huius confirmationis testes sunt. Hosadus prepositus. Dodica decanus. Vffo. Becelin. Heriman. Werinza. Tamma. et ceteri fratres omnes tam canonici quam monachi nostrę sedis. Laici uero. Heinric. Erp comites. Heriman tribunus. Bernhard. Hunald. Heriman. Sibrath. Hiddi. Guntheri. Thiathard. Ekkihard. Ezelin. Athalbrath. Hoika. Hemuka. Azoko. Bennic. Wicil. Hathawerc. Widier. Tadika. Hoika. Ecelin. Hillin. Gerrad. Eila. Dudi. Eppo. Thiederic. Haald et frater eius Gerald. Wicman. et alii plures.

Data Patherbrunnon VIII. Id. Jan. in Sancta die Epiphanie Domini. Anno ab incarnatione eius MXXXVIII. Indictione VII. Regnante Conrado Romanorum imperatore, regni eius XV. Imperii uero XII. Episcopatus autem nostri III.

*Das aufgedruckte grosse kreisförmige Siegel zeigt das vorwärts sehende Brustbild des Bischofs mit unbedecktem Haupte, in der rechten Hand den Bischofsstab haltend. Sowohl Bild als Umschrift ist sehr verwischt, daher die letztere nicht genau anzugeben.*

### CXXX.

**C.** In nomine sanctae et indiuuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus presentibus scilicet atque futuris || qualiter uenerabilis abbas nomine TRVCHT-MARVS nostram adiūt excellentiam suppliciter orans etc. (alles wörtlich wie in der gleichartigen Urkunde Conrads II. von 1025, bis:) et melius illos delectet omni tempore pro uitę animaeque nostrae perpetua felicitate, et pro remedio pię memorię genitoris nostri CHVONRADI Romanorum uidelicet imperatoris augusti, atque pro stabilitate regni a Deo nobis collati, domini misericordiam attentius exorare. (Das Folgende wieder gleichlautend bis zum Schlusse.)

*Signum domini Heinrici terci (L. M.) regis inuictissimi.*

*Theodericus cancellarius uice Bardonis archicappellani recognouit.*

Data III. NON. SEPT. Indictione VII. Anno dominicę incarnationis M<sup>o</sup>.XXX.VIII. Anno autem domni HEINRICI terci ordinationis XII. regni uero I. Actum GOSLARE feliciter AMEN.;

*Das Siegel ist verloren gegangen.*

## CXXXI\*).

C. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Si petitiones seruorum Dei iustas et rationabiles ad effectum perduxerimus, et ad hanc uitam || felicius transigendam, et ad perpetuam facilius promerendam procul dubio nobis profuturum speramus. Quapropter notum esse uolumus, quoniam uenerabilis abbas TRVCHTMARVS adiit excellentiam nostram suppliciter orans, ut nostra munificentia prospiceremus monasteriis sibi commissis, quorum unum est noua CORBEIA nuncupatum, ubi et ille regulari constitutione abbas extitit, et alterum est sanctimonialium HERIFORT dictum, et proprię abbatissę, cuius nomen GOTESDIV, subiectum, sed iuxta consuetudinem qua ancillarum Dei congregationibus procurari solent prepositi, ex ecclesiastico ordine, iam dicto abbati commendauimus, ut tam in disciplina abbatissam loci iuuet, quam in cunctis negotiis, quę famulę Christi (pro sexu et) professione sua execui non possent, ipsarum prouisor et patronus existeret. Is ergo petiit celsitudinem nostram, (recordari) quod pię memorie antecessor noster Hludowicus imperator ambo haec monasteria construi iussit ad normam uidelicet precipuorum in Gallia monasteriorum, nouam scilicet Corbeiam ad similitudinem antiquę Corbeię, Herifordense uero coenobium ad exemplum monasterii sanctimonialium in Su(essonense ciuitate constructi), et ut in elemosinam suam ac totius generis sui institutionum earundem perfectio compl(eretur), ecclesiam iuris sui quę uocatur Meppia, cum decimis et possessionibus aliisque ad eam pertinentibus, et ecclesiam Eresbuc, quam Karolus primo construens in Saxonia decimis dotauit circumquaque habitantium per duas Saxonicas rastas, prefatus (Hludowicus) ad nouam tradidit Corbeiam. Ad Herifordensis autem monasterii adiumentum dedit in episcopatu Asnabrugensi ecclesiam Buginithi cum subiectis sibi ecclesiis, in parochia uero Mimigernafordensi ecclesiam Hreni cum his quę ad eam pertinent ecclesiis, ita sane, ut decimarum (aliorumque) reddituum prouentus omnes prefatis cederent monasteriis, et ab his uicissim procurarentur subiectę plebes in baptimate, in eucharistia, in sepultura, in confessione peccatorum audienda, et presbiteri qui principales ex his ecclesias tenerent, archipresbiterorum officio fungerentur, ad (omnia) facienda quę solent fieri ab archipresbiteris episcoporum. Cum autem ipsi episcopi circationes suas ibi agere deberent, ad eorum mansionatica daretur quod in capitularibus antecessorum nostrorum prescriptum habetur. Ille igitur rata esse uolens cetera omnia, tantum expensas ad ministerium episcopi propter egritudinem et senectutem eius qui tunc fuit Gauzberti augere debuit, quod iuxta petitionem primi eiusdem loci abbatis Warini ita moderari placuit, ut descripto quantum satis sit ad seruitium episcopi hoc nullo modo subtrahatur, et episcopus uicissim ampliora non querat, nec cum pluribus, ueniat quam ut eis sufficere possint. In quibus satis esse consensit prefatus episcopus coram antecessore nostro Hludowico et archiepiscopo Hrabano, ceterisque cum eo in synodo agentibus, id est, ut dentur ad singulas ecclesias porci III. ualentibus singuli denarios XII. aut VIII. arietes tantudem ualentibus. porcelli III. auce III. pulli VIII. situle XX. de medone. de mellita ceruisia XX. de non mellita . .\*\*) panes CXX. de auena modii C. manipuli DC. sitque in potestate episcopi utrum haec per singulas ecclesias ad unum mansionaticum an ad duo uelit habere. Ne autem in summa debiti his plus minus completeretur, hoc auctoritatis sue decreuit atque iussit. (His etiam) adiungere placuit liberam utrius loco concessionem eligende de propria congregatione in regimen sui per futura semper tempora congrue persone, quod et nos

\*) Die aus der sehr beschädigten Original-Urkunde verschwundenen, hier nach Muthmassung und Analogie anderer Urkunden ergänzten Worte sind in Klammern eingeschlossen.

\*\*) Gleichartige Urkunden, z. B. Nr. CXXXIII. haben hier die Zahl LX.

confirmamus et corroboramus. Et ut omnis hinc dubetas tollatur, manu propria corroborantes, sigilli nostri impressione ea signari iussimus.

*Signum domni Heinrici terci (L. M.) regis inuictissimi.*

*Theodericus cancellarius vice Bardonis aachicapellani recognouit.*

Data III. Non. Sept. Indictione VII. Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>.XXX.VIII. Anno autem domni Heinrici terci ordinationis XII. regni uero I. Actum GOSLARE Feliciter AMEN.

Das Siegel ist verloren gegangen.

### CXXXII.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Quoniam divinae dispositionis prouidentia ad regendam totius rei publicae || monarchiam sue immense pietatis magnificentia nos prouexit, ante omnia autem hoc laborare debemus, ut qui coronam terreni regni concessit, post emensem huius uitę spaciū, ea etiam coronari permittat, quę non auferatur in aeternum. Quod potissimum fieri posse decernimus, si loca aecclesiasticis obsequiis deputata nostra auctoritate corroborentur, ut omni exteriore inquietudine remota in tranquillitate permaneant, quatinus eorum precibus adiuuemur, qui ibi die noctuque orationibus in Dei seruicio uacare debentur, et quod per nos utpote conscientia trepidi querere non presumimus, sanctae Dei aecclesiae seruientium pia intercessione impetremus. Quapropter uniuersitati fidelium nostrorum patere uolumus, qualiter R<sup>O</sup>VODOLFVS sanctae Paterbrunnensis ecclesiae uenerabilis episcopus, pro ecclesię suę honore, immo maxima utilitate, pię intentionis deuotione nos suppliciter aditurus exorauit, ut ecclesia cui ipse pastorali cura presidet, nostra regali auctoritate corroboraretur. Cuius petitioni quia rationabilis uidetur gratuito assentientes, quicquid eadem ecclesia per iusticiam obtainere debet antecessorum nostrorum regum uel imperatorum uel nostra oblatione ceterisque fidelibus ibi collatum, in rebus, territoriis, uel in comitatibus ac districtu, uel quibuscumque utensilibus, ac quicquid MEGENVVERCVS episcopus, antecessor scilicet prelibati Ruodolfi episcopi, de sua hereditate ibi contulit, uel aliunde per commutationem aut precariam legaliter adquisiuit, denuo stabili dono concedimus et regali auctoritate confirmamus. Si quis autem nostre confirmationis edictum ulterius aliqua presumptione infringere temptauerit, centum librarum auri ad nostrum pondus compositione multetur, vt dimidium camere nostre persoluat, reliquum uero eidem ecclesię quam temerarie inquietare presumpsit. Et ut haec confirmatio per successiones temporum stabilis et inconuulsa permaneat, hanc regalis precepti paginam inde conscribi ac manu propria confirmantes sigillo nostro iussimus insigniri.

*Signum domni Heinrici terci (L. M.) regis inuictissimi.*

*Theodericus cancellarius vice Pardonis archicancellarii recognouit.*

Data XIII. Kal. Oct. Indict. VII. Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>.XXX.VIII. anno autem domni HEINRICI terci XII. regni I. Actum Bohtfelht feliciter AMEN.

Das grosse aufgedruckte Siegel zeigt den König auf dem Throne sitzend und in der rechten Hand einen Stab haltend, mit einem Vogel (Adler) auf der Spitze.

### CXXXIII.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. HEINRICUS diuina fauente clementia rex. Si locis diuino cultui mancipatis aliquam munificentia nostra adicit immunitatem, unde commorantes inibi || securius et

commodius uitae celestis quietudini ualeant inseruire, existimamus hinc presentibus uti felicius ac mansuris perfrui beatius. Quo circa nouerit omnium Christi nostrique fidelium cautela, tam presentium quam succendentium, qualiter nos pro remedio animae nostrae parentumque nostrorum, nec non pro petitione HERIVORTENSIS aeclesiae abbatissę GOTESDIE nominatę nostri dilectę, traditionem HLVODEWICI imperatoris quam tradidit ad monasteria quorum unum est monachorum noua CORBEIA nuncupatum, Aliud est sanctimonialium HERIVORTI nominatum, quae piae memorie genitor illius HLVDUWICUS imperator ad normam precipuorum in Gallia monasteriorum construxit, CORBIENSE uidelicet ad similitudinem antique CORBEIE, HERIVORTENSE uero ad SVESSIONIS similitudinem, abbati CORBEIENSI commendauimus, ut iuxta consuetudinem, qua ancillarum Dei congregationibus procurari solent prepositi ex ecclasiastico ordine, tam in disciplina quam in cunctis negotiis, que famulę Christi pro sexu et professione sua exequi non possent, ipsarum prouisor et patronus existeret. Pro elemosina autem generis sui tradidit cellam que uocatur MEPPIA, cum decimis et possessionibus undique ad eam pertinentibus, et eccliam HERESBVRC circumquaque per duas saxonicas rastas, ad nouam CORBEIAM. Ad HERIVORTENSE uero monasterium in episcopatu ASNABRVGensi eccliam BVNIDI cum subiectis sibi ecclias, in barrochia MIMIERNEVORDI eccliam RENI cum his que ad eam pertinent ecclias, ita sane ut decimarum aliorumque redditum prouentus omnes prefatis cederent monasteriis, et ab ipsis uicissim procurarentur subiectę plebes, in baptimate, in eucharistia, in sepulturis, in confessione peccatorum audienda, et prespiteri qui principales ecclias tenerent archipresbyterorum officio fungerentur, Ad agenda omnia que solent fieri ab archiprespteris episcoporum. Et cum ipsi episcopi circationes suas ibi agere deberent, ad eorum mansionatica daretur ut in capitularibus antecessorum nostrorum prescriptum habetur, uidelicet quantum satis sit eis dari, et episcopi non plus querant, nec cum pluribus ueniant quam ut eis sufficere possint. Ne autem in summa debiti episcoporum seruitii plus exigeretur quam opus sit, statuerunt predictarum eccliarum episcopi cum consensu synodali coram antecessore nostro OTTONE imperatore et archiepiscopo RABANO ceterisque cum eo in synodo agentibus, ut dentur ad singulas ecclias porci III. ualentes singuli denarios XII. aut arietes VIII. tantundem ualentes, porcelli III. aucae III. puli VIII. situlae XX. de medone, de mellicia ceruisa XX. de non mellita LX. panes CXX. de auena modii C. manipuli DC. essetque in potestate episcoporum, utrum haec per singulas ecclias ad unum mansionaticum an ad duo uellent habere. Statuit ergo prefatus antecessor noster OTTO imperator liberam utriusque loco concessionem et potestatem eligendę de propria congregacione in regimen sui per futura semper tempora congrue persone, et ut nullus iudex publicus licentiam in homines ad prefatum monasterium HERIVORTENSE pertinentes ullam iudicariam habeat exercere potestatem. Sed omnis eorum res coram aduocato ipsorum definiatur, quam constitutionem antecessorum nostrorum iustum et rationabilem nos quoque predicto monasterio HERIVORTENSI precepto nostro regali confirmamus atque corroboramus. Et ut haec confirmationis nostra auctoritas stabilis et inconulsa omni permaneat aeuo, hanc paginam inde conscriptam manu propria ut infra uidetur corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domni Heinrici tercii (L. M.) regis inuictissimi.*

*Eberhardus cancellarius uice Bardonis archicancellarii recognouit.*

Data XI. Kal. Januar. Indictione VIII: Anno dominicae incarnationis Millesimo XL. Anno autem domni HEINRICI tercii ordinationis eius XIII. Regni uero II. Actum HERIVORTE feliciter amen.

Das aufgedruckte, den König auf dem Throne sitzend vorstellende Siegel ist sehr beschädigt.

## CXXXIV.

Älteste urkundliche Nachrichten zur Geschichte des Stifts Überwasser.

Einem zu Ende des 11. oder Anfange des 12. Jahrhunderts geschriebenen, ehemals zum Archive des gedachten Klosters gehörigen Evangelien-Codex, gleichzeitig beigefügt.

Anno ab incarnatione Domini Millesimo XLI. Indictione VIII. IIII. Kal. Januarii, regnante et astante imperatore Heinrico tercio, in monasterio sancte Mariæ, quod est in Mimigardevord, consecratum est principale altare a uenerabili Agrippinensis ecclesiæ archiepiscopo Herimanno, administrantibus Bremensi archiepiscopo Alebrando et Mindensi episcopo Brunone, In honore sancte crucis et sancte Dei genitricis et plurimorum sanctorum.

Meridianum altare a Magociacensi archiepiscopo, sancto scilicet Bardone, assistantibus sibi Bauenbergensi episcopo, Swithgero, qui postea Romæ papa ordinatus est, et Thietmaro episcopo Hildinesheimensi. In honore sancti Johannis Baptiste et omnium sanctorum martirum.

Aquilonare altare consecratum est a Parthenoponensi\*) archiepiscopo Hunfrido, iuantibus Cazzone episcopo de Cizce, et Osneburgensi episcopo Aluerico, In honore sancti Johannis euangelistæ et omnium sanctorum confessorum.

Occidentalis arra dedicata est a patre nostro domno HERIMANNO episcopo, huius loci fundatore et structore, fauentibus Leodicensi episcopo Nithardo, et Scelsyuicensi episcopo HRvotholfo, In honore sanctorum apostolorum PETRI et Pavli, et aliorum plurimorum sanctorum, quorum nomina scripta sunt in celis.

Hanc Dei sponsam, ipse qui affuit imperator augustus Heinricus, quadam sue proprietatis dotauit curte, Haruia dicta, que sita est in pago Liuegovve, astantibus pene tocius regni primatibus, et presente felicis memoriæ prima domna ac matre nostra spiritali, abbatissa BERTHEITHE, ipsius domni et patris nostri Herimani sorore, que ab infancia sua nec cum mundo flere, nec cum mundo umquam uisa est gaudere, sed super gregem sibi creditum cura peruigili studuit excubare, que monachicæ rellionis sub obscuritate quanti apud Deum in uita sua fulgeret meriti, testantur nonnulli, qui quacumque ex causa angustiati, ad sepulcrum eius consugientes recedunt consolati.

Tricesimo primo quidem tam gloriose et memoria dignæ consecrationis anno, scilicet incarnationis Domini MLXXI. Nonas Aprilis, peccatis nostris uere exigentibus, tota hec dedicatio, tot Deo electorum sacerdotum confirmatio, igne deuorante, in momento est euacuata, omnisque edificiorum honorabilis strueta ad nihilum pene redacta. Ex quo graui merore affecta est huius loci tunc temporis abbatissa IDA, uere ut speramus beata, secundum nominis sui interpretationem, mente et corpore valde speciosa, que prime domne nostre cognata, eius in laribus tenere educata, et ut preciosus lapis multiplicibus polita argumentis, pluribus uirtutum resplenduit ornamenti, qua tantæ excellentiæ filia, talis matris successor efficeretur emerita. Erat enim ad omnem Dei gloriam studiosissima, ad omnem cultum studii relligionis et edificii inuigilantissima, quodque rarissimum habetur in sanctorum moribus, diuinæ miserationi multis sepe commendauit obseerationibus, salubri prosperitate nos iocundari, suis non solum temporibus, sed et si posset fieri, usque ad consummationem seculi, utque breuiter omnia concludam, rectricem tam sollicitam ea superstite nec quisquam comperit, nec in tota huius mundi latitudine deinceps inuenit, cuius laudi merito ascribitur in secula, quecumque hoc in loco Deo digna resonat gloria. Hec tanta ac talis matrona in omnibus uis suis laudabilis et gloriosa, timoris Domini thesaurum mente recondens, non ex quanto, sed

\*) Darüber geschrieben: Magetheburg.

Cod. dipl. hist. Westfal.

diuinę benigitatis quanta sit habundantia perpendens, ad reedificandum toto nisu consurrexit, quod opifice summo cooperante ad perfectionis limam pene usque perduxit. Nam cum hanc Dei sponsam multo appatu iam perornasset undique, occulto Dei iudicio heu preuenta mortalitate, uno tantum anno ante huius aule consecrationem, sine dubio celestem intrauit ad Jherusalem, ubi felici commercio pro peritulis eterno potitur gaudio. Sed incommutabili Deitatis dispositione, quod non licuit per se, ipsius reseruatum est. consobrinę, nostrę scilicet domnę abbatissę CRISTINĘ, bene quidem et perfecte christianę, quę omnes matarerę suę probitatis semitas argumentose instructa, locum hunc et congregationem summa electione, quod uere scimus, strenue regit tercia, et quemcunque cordis sui, dum adhuc uiueret, sensit affectum, infatigabili studio perducere non cessat ad effectum. Est enim ad uniuersa quę optima sunt studiosa, pronam humilitatis et compassionis scalam condescendere admodum perita, in commisso fidelis, orationis contemplatione stabilis, compunctione facilis, omnibus affabilis, et totam Dei glorię structuram, quam precessores eius supra firmam fundauerunt petram, suis temporibus per neglegentiam ne difluat, multis lacrimis sanctorum suffragiis non solum attentius commendat, sed et ipsa cotidie super edificare non cessat, ut talium matrum competit proli, quarum si radix sancta et rami. Huius instanti petitione, immo diuina preueniente inspiratione, anno M. LXXXV. indictione VIII. regnante imperatore Heinrico III<sup>o</sup>. III. Idus Januarii, iterum dedicata est occidentalis plaga monasterii nostri a uenerabili ERPHONE, huius sedis antistite, presulatus sublimitate meritis decorato ut nomine, In honore Domini nostri Jhesu Christi, et uictoriosissimę crucis, et sanctę Marię perpetuę virginis, et sancti Michahelis archangeli, omniumque cęlestium uirtutum, et specialiter sancti Petri apostoli, sanctorumque apostolorum Pauli, Andree et omnium sanctorum, in quo altari continentur reliquię apostolorum Philippi et Bartholomei et aliorum plurimorum sanctorum. Eodem anno idem bone uoluntatis episcopus, VIII. Kal. Aprilis, consecrauit aram in capella quę uocatur Iherusalem, In honore Domini nostri Ihesu Christi et omnium sacramentorum eius, sanctę annunciationis, nativitatis, passionis, sepulturę, sanctę crucis, resurrectionis, ascensionis, et in honore aduentus spiritus sancti, et sanctę Marię matris Domini, et sancti Thomę apostoli, Quirini, Hermetis, et omnium sanctorum. In quo continentur reliquię de sepulchro Domini, de ligno Domini, de mensa Domini, de lapide super quem sedebat angelus Domini, Andree, Johannis, Jacobi, Thomę, Mathei, Quirini, Victorini, Hermetis, Alexandri, Osvaldi, Gregorii, Nicolai, Seuerini, Cuniberti, Alexis, Leonis, Cecilię, Petronille, Marie magdalenę et Marie egyptiacę.

Ab incarnatione Domini anno M<sup>o</sup>. LXXXVI. indictione VIII<sup>a</sup>. III. Kal. Januarii, consecratum est principale altare a gloriose presule nostro ERPHONE, In honore Domini nostri Thesu Christi, et sanctę crucis, et sanctę Dei genitricis, et sancti Michahelis archangeli, et omnium cęlestium uirtutum, Sancti Petri, Pauli et omnium sanctorum. In quo continentur reliquię de ligno Domini, de ueste sanctę Marię, Pauli, Bartholomei, Pantaleonis, Nerei, Achillei, Prisę, Aquilę, Quintini martirum, Benedicti abbatis, Gerthrudis virginis, Genofeuę, Verenę, Serenę, et sanctarum XI. milium uirginum, et plurimorum sanctorum. Meridianum altare consecrauit idem noster dominus, In honore sancti Johannis baptiste. In quo continentur reliquię sancti Stephani protomartiris, sanctorum innocentum, Sancti Ciriaci martiris, Sancti Sebastiani, Fabiani, Gratiani, Quintini, Pantaleonis, Abundantii et aliorum sanctorum. Aquilonare altare, In honore sancti Johannis euangelistę, Martini, Abundantii, Pancratii, Benedicti, Brichtii, Nicolai, Seruati, Wicberti et aliorum sanctorum.

Anno ab incarnatione Domini M<sup>o</sup>. LXXXVII. indictione X. VIII. Kal. Februarii, dedicata est Meridiana capella, a uenerabili huius sedis episcopo ERPHONE, In honore Sancti Pauli apostoli, Sancti Miniatis martyris, Ambrosii, Egidii, Innocentii, Sanctę Marię Magdalenę, Afrę et omnium sanctorum. In quo continentur reliquię Sancti Pauli apostoli, Miniatis, Ambrosii, Egidii, Marię Magdalenę, Agathę et aliorum sanctorum.

Anno ab incarnatione Domini M<sup>o</sup>. LXXXVIII. Kal. Februarii, Indictione XI. Idem dominus noster ERPHO dedicavit aquilonarem capellam, In honore Sanctę et indiuiduę Trinitatis, et vitoriosissimę crucis, et sanctę Marię perpetuę virginis, et sancti Raphahelis archangeli, et Jacobi fratris Domini, et Jacobi fratris Joha-

nis, Symonis et Judę, et sanctorum martirum Cosmę et Damiani, Dionisii, Processi, Martiniani, et specia-  
liter Sancti Benedicti, Amati, Romarici, Columbani, Galli, Adelfi, Maurini, Seueri, Scolasticę, Brigideę,  
Sophię, Speci, fidei, karitatis, et omnium sanctorum. In quo continentur reliquie sanctorum, de fibra  
sancti Jacobi fratris Domini, Cosmę et Damiani, Processi et Martiniani, Quirini, Dionisii, Rustici et Eleu-  
therii, Nicomedis, Materniani, Lamberti, Maurini, Benedicti abbatis, Scolasticę virginis.

Eodem anno, XVII. Kal. Septembbris, Idem ipse episcopus noster ERPHO chorum nostrum consecra-  
uit, In honore Domini nostri Ihesu Christi, et sancte Marię, et sancti Michahelis archangeli, et sanctorum  
apostolorum Petri et Pauli, Geronis sociorumque eius, Victorini et omnium sanctorum. In quo continentur  
reliquie S. Victorini, Dionisii, Floriani, Seuerini, Liudgeri, Vualdburgis, Gerthrudis, et Sancte Ide, et alio-  
rum plurimorum sanctorum. Eodem die consecrata est occidentalis ara ipsius chori, In honore Domini  
nostri Ihesu Christi, et Sancte Dei genitricis, S. Michahelis, Gabrihelis et nouem ordinum angelorum, An-  
dree apostoli, Valentini, Mauricii et sociorum eius, Basillii, Simphorosę et omnium sanctorum. In quo con-  
tinetur reliquia de sacrophago (*sic*) Sancte Marie, sancti Andree, Mauricii, Marcellini et Petri, Laurentii,  
Viti, Gregorii Pape, Remigii, Agathę, Druhildis virginis.

Omne debitum seruicii, quod in hac dedicatione nostro exhibendum erat antistiti, et omnia genera  
donorum, reginę iam reseruauit polorum, quę ut solet cunctis sibi deuotis, centuplicata illi recompenset  
hic et in cęlis. Laudes referimus benignitati diuine, quę nos huius consecrationis iocundauit reparacione,  
ipsum incessibili prece rogiantes, qui non dormitat neque dormiet, ut super hanc domum paterna pro-  
tectione uiglet, nosque habitantes in ea nunc et in eum letificet. AMEN.

### CXXXV.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Omnium fidelium  
nostrorum tam presentium quam et || futurorum sollers nouerit industria, Qualiter nos diuina ammonitione  
compuncti, nec non fidelissimo ac frequentissimo seruitio HEREMANNI MIMIGARDEVVRDENSI ecclesię  
uenerabilis episcopi non parumper incitati, quandam curtem nostrae proprietatis HARVIA dictam, in pago  
LIVEGOWE et in comitatu DIETBALDI comitis sitam, pro remedio animae dilectissimi genitoris nostri  
CHVNEHILDIS CHVONRADI uidelicet imperatoris augusti, ac pro pia recordatione animę coniugis nostrae CHVNEHILDIS  
reginę, simulque pro stabilitate uitae nostre, nostręque matris GISILE, imperatricis augustę, atque pro  
desiderio diuine retributionis, ad hanc ecclesiam, quam predictus HEREMANNVS episcopus in MIMIGAR-  
TEVVRTensi loco a fundamento incepit, eamque ad finem perductam, nobis astantibus, in honorem sancte  
Dei genitricis MARiae honorifice consecrauit, cum omnibus suis pertinentiis, hoc est utriusque sexus man-  
cipiis, arcis, edificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, siluis, uenationibus, aquis  
a quarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus et redditibus, uiis et inuiis, quesitis et  
inquirendis, seu cum omni utilitate quę scribi aut dici poterit, Eo tenore in proprium dedimus atque tra-  
didimus, ut eiusdem ecclesię abbatissa ceteręque moniales Dei sanctęque genitricis MARIE seruitum abhinc  
die noctuque in commemorationem nostri parentumque nostrorum copiosius possint adimplere. Firmissime  
autem in eadem facienda traditione hoc excepimus, ut neque presens HEREMANNVS episcopus neque  
futuri successores sui deinceps prefatam curtem ullam potestatem habeant de eadem ecclesia retrahendi  
uel in suos usus uendicandi, nisi eo concambio aut ea restitutione, quę eiusdem ecclesię abbatisse omni-  
busque suis monialibus aut ex uicinitate aut ex utilitatis magnitudine commodior uel utilior esse videatur.  
Et ut haec nostrae traditionis atque largitionis auctoritas nunc et per succendentia temporum curricula

stabilis et inconulsa permaneat, hanc paginam inde conscribi eamque manu nostra ut subtus uidetur corroborantes, sigilli nostri impressione precepimus insigniri.

*Signum domini Heinrici tertii (L. M.) regis invictissimi.*

*Eberhardus cancellarius uice Bardonis archicancellarii recognoui.*

Acta III. Kal. Januar. Indictione VIII. Anno dominicae incarnationis M. XL. I. anno autem domni HEINRICI tertii ordinationis eius XIII. Regni uero II. Actum MIMIGARTEVRTE. AMEN.

Vom Siegel ist keine Spur zu entdecken; dagegen ist auf dem leeren Raume der Charte, wo sich das Siegel befinden sollte, eine verschoben vierseitige Schleife von gelbseidenen Schnuren angeheftet. (Wahrscheinlich war an dieser das Siegel, ohne Zweifel von Blei, dergleichen von Heinrich II. und III., jedoch äußerst selten, vorkommen, so angehängt, dass es zur Seite der Urkunde herabhangt, und ist davon abgeschnitten worden. Ganz auf ähnliche Weise ist die Bleibulle an einer Urkunde Papst Leo's IX. im Königl. Provinzial-Archive zu Düsseldorf befestigt.)

### CXXXVI.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. || Nota sint omnibus fidelibus tam presentibus quam futuris ea que in his intitulauimus litteris. Sicut imperatoria dignitas omnes in hoc mundo antecedit honores cum magna uirtutum excellentia, ita nimurum necesse est ipsius gesta cum maxima obseruari diligentia, ut non sit quisquam ubiuis gentium, qui ulla presumptuosa temeritate audeat regale infringere sacramentum. HERIMANNVS igitur uenerande memorie Mimigardefordensis episcopus, peracta edificatione templi in honore uidelicet sancte et perpetue uirginis MARIE, ad dedicationem ipsius ecclesie domnum suum HEINRICVM piissimum ac invictissimum imperatorem inuitauit, et reuerentissima ut talem decuit uirum accusatione cum multorum episcoporum nec non et principum nobilium comitatu sustentauit. Sed predictus imperator ob premerendam Dei omnipotentis sueque sacratissime matris gratiam, consentiente et collaudante regni sui principatu, eandem ecclesiam nobilissimo dotauit munere, eo scilicet, ut decima que in Frisia dari debet ex debito quod regium dicitur, eidem ecclesie pro sui memoria annuatim fideli persoluatur amministratione. Vnde quidem sanctorum patrum uerissima diffinitum est auctoritate, hunc fuisse reum maiestatis illius summi et eterni imperatoris, quicunque huiusmodi largitionem irritam fecerit, uel aliquid ab ea iniuste substraxerit, ipsumque indissolubili obligari examinatione, nisi digna resipuerit emendatione. Acta uero est hec consecratio et traditio anno dominice incarnationis millesimo. XL. I. Indictione VIII. III. Kal. Januar. regnante domino nostro Ihesu Christo, cui laus et gloria per cuncta secula AMEN.

Weder ein Siegel noch eine andere äussere Beglaubigung ist vorhanden, am untern Rande der Charte aber eine kleine Schleife von gelbseidenen Schnuren angeheftet. (Vgl. die Bemerkung zu der vor. Urk.)

### CXXXVII.

Aus dem im Jahre 1532 aufgenommenen und gerichtlich beglaubigten Kopialbuche der Kirche St. Mauricii zu Minden.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Bruno Mindensis ecclesie solo nomine episcopus, Dei tamen gracia quicquid est, successori suo cunctisque suis successoribus diuina ordinatione futuris, presentis vite securitatem et eterne beatitudinis certitudinem. Quantum diuine seruitutis obsequiis antecessorum meorum studium semper fuerit, vestre sanctitati notum erit, qui hac vita positi, omni qua potuerunt deuotione solummodo nitebantur, ecclesie sibi a Deo commisse aliquam religionis utilitatem conferre, quatinus mundano cursu peracto noue resurrectionis cum bonis consortio et perpetue vite cum electis premio mererentur obtainere. Quorum ordinis vicem cum ego quoque humilius et nullo merito sed sola Dei gracia susciperem locum hunc quem pro salute sua unusquisque eorundem et de propriis et diuinitus sibi collatis beneficiis benigno ampliauerunt affectu, ad exemplum ipsorum pro modulo meo adaugere etiam

postmodum desiderau, sperans certissime me aliquem eiusdem vite fore participem, si in diuinis ministeriis eorum actus aliquatenus imitari inciperem. Vnde cum tam venerabilium patrum strennuos actus ex integro coequare non possem, saltem vt in aliquo amabile eorum exemplum prosequerer, monasterii loci huius que de labore eorum fundata et de benevolentie ipsorum collatione postea sunt adacta, ego etiam queque illi eisdem contulerant, meo tempore inuiolata corroborau, et pro possibilitate de propriis hereditatis mee bonis et parte decimaru quas extra vsum necessarium seruicii mei collectas in potestate habere potui, ibidem Deo famulantum prandia augmentau, quatinus eorundem intercessionibus largiter fretus, si de labore meo aliquid deuotionis munus Deo placabile inciperem, ipsi maiori animi fiducia offerre valerem. Hac ergo fiducia in solo spem habiturus domino, hanc pauperculam et adhuc rudem ecclesiam voto magis quam ex posse fundare cepi ad laudem et honorem domini nostri Jesu Christi eiusdemque genitricis gloriosissime et semper virginis Marie et victoriosissime sancte crucis, sanctique Michaelis archangeli et totius celestis milicie, sanctique Petri nostri patroni et sancti Gorgonii martyris, et speciali sancti Mauricii sociorumque suorum commendatam priuilegio, et sanctorum martirum Fabiani et Sebastiani, Ciriaci, Lamberti, Georgii, Blasii venerationi construendam destinaui, pro salute videlicet animarum eorundem antecessorum meorum et cunctorum subsequentium communi prouectu, et pro parentum meorum seu et propria recordatione id agens, et in quantum potui tum de propriis iuris hereditarii bonis dotaui, tum de substantie mee collectiu et acquisitis vtilitatibus augmentau. In qua uidelicet deuotione si qua est ad sanctitatis vestre iudicium confugio, obsecrans vos per nomen domini sanctorumque simul quorum meritis hanc ecclesiam destinaueram, quatinus sortis mee vestreque conditionis, qua omnis caro post mortem in suam transit originem, non immemores, bona que eidem ecclie contuli, non solum ad meam salutem sed ad prouectum vestrum perpetuo profutura, eo tenore stabilire velitis, vt si humane fragilitatis impedientibus negotiis de vestra parte plura non addantur, saltem hec inuiolata permanere patiamini, et sub manu vestre potestatis corroboranda et firmando preualeant, quatinus predictorum sanctorum martirum interuentu apud Christum subleuati, pariter cum ipsis eterne vite regno participemini. Ad hec, o venerabilis ordinis mei Deo disponente successor, me indignum et peccatorem specialiter tue sanctitati eommodo, vt si quid negligentius circa preceptum domini et in commissi cura gregis humane fragilitatis tempore commiserim, tue sanctitatis apud dominum experiar medicinam, quatinus et post sortis tue terminum tibi succendentium certius et efficacius persentias patrocinium, si oneris mei molestiis tue sanctitatis oratione aliquatinus dignaberis supponere. Hec autem ex mea paruitudine huic contuleram ecclie. De propria hereditate mea in Lecha et in Berka quecumque ego uel mater mea possidere videbamur, videlicet triginta et quattuor mansos, excepto predio ibidem posite familie, cum mancipliis cunctis ad eadem loca determinatis, vno scilicet excepto clero meo cui nomen est Bruno, aliasque vtilitatibus, villis, areis, edificiis, agris, terris cultis et incultis, viis et inuiis, exitibus et redditibus, quesitis et inquirendis, pratis, pascuis, siluis, venationibus, aquis aquarumue recursibus, piscationibus, molendinis et vtilitate silue cuiusdam, in qua duas portiones habuimus, et cum vtilitate salis, nec non cum omnibus appendiciis quo dici aut nominari possunt. Mundiburdio eiusdem ecclie tradidimus, In Afforde decem mansos quos Meinwardus dedit, in Gegonhuson vnum mansum quem Liutbureh dedit, in Wederbergon quinque mansos quos Hildiboldus frater noster dedit. In Ridanthorpe quecumque Helmburg sanctimonialis possidere videbatur, queque ab ipsa cum patroni sui traditione in proprium suscepit, et ducentis talentis comparaui. In Lerbiki quecumque Hemuko frater noster in beneficium habuit, et mansum vnum in Allerkheshusun quem Abbiko habuit, et sex mansos quos Thiatmarus Comes pro se et Widikindo comite eidem ecclie tradidit, et duos mansos quos Abbik et Erp dederunt in Aidanthorpp, et in Thurnethe decem mansos, et predium quodecumque Widikindus Comes in Buttingthorpp habuit, et quodcumque Alfkier in Trato in beneficium habuit.

## CXXXVIII.

Cum iam fidei et ueritatis regnantibus peccatis rara usquam terrarum habeantur uestigia, aequum censemus ea que nostra modernitas utilitatibus ecclesiarum Dei contulerit, sub scriptione determinare firmissima, ut si quis succendentium, quod minus cupimus, uesania instigante, irritare disposuerit modum nostrae traditionis, hac testimoniali cartula conuictus, se certo obnoxium recognoscat aeternę ultiōnis. Nouerit uniuersa presentium futuorumque in Christo nobis cara dilectio, qualiter ego BENNO Mimigernefordensis uicedominus gratia Dei indigens, utriusque uitae meę statum commendare satagens Sanctę Dei genetricis presidio, conductus assuas et admonitione pii patris nostri scilicet RÖDPERTI episcopi, tradidi per manum aduocati mei RÖDVARDI in ius et dominium eiusdem sancte Mariae quoddam premium in Walthorpe situm Hoanasche nuncupatum cum omnigenarum adiacentia utilitatum, ut et nostrae caritatis memoria inibi perpetualiter scribatur, et patrum nostrorum episcoporum HERIMANNI scilicet SIGIRIDI dilectio per huiusmodi traditionis nostrae interuentum eterna beatitudine felicius perfruatur. Vt autem nostrae traditionis nulla sit dubietas, quicquid ibi possidere uidebar integro modo tradidimus donatumque esse uolumus, cum mansis et mancipiis, pratis, pascuis, piscinis aquarumque decursibus. Dominus uero episcopus RÖDPERTVS ad presens unum mansum in Ihtere situm sua industria acquisitum sanctę Marię donauit, quem pro precario iure, addito alio quodam sue proprietatis manso in Risonbeke, michi eiusdem loci abbatissa per manum aduocati sui LIVPONIS concessit, ea ratione, ut quamdiu aduixero et precario et predictę traditionis utar predio, annisque singulis duos denarios sanctę Marię pro recognitione traditionis habeam exoluere, postquam me uiam uniuersę carnis ingresso precarium et premium in usum redeat integre. Hęc sunt mancipia ad supradictam traditionem pertinentia. Adelword presbiter. Volmar. Abbaco. Tiedo. Wiuekin. Rözela. Meresuind. Folesit Betteka. Benna. Wennikin. Ecsuit. Euekin. Testes autem huius rei sunt. Arnold prepositus. HRipo decanus. Helmerik diaconus. Nithing diaconus. Suetger subdiaconus. Heinrik subdiaconus. Röthulf presbiter. Hereman miles. Giselbraht. Etzo. Sigewin. Engizo uillicus. Item Engēzo. Ricbraht. Liupraht. Thiedrik. Godescalc. Et ut hęc traditio stabilis et inconuulsa permaneat, sigillo domini nostri RÖDPERTI iussu ipsius insigniuimus.

Von dem aufgedruckten, der zurückgelassenen Spur nach, kreisförmigen Siegel, dem einzigen, welches von Bischof Ruodpert bekannt ist nur noch ein Bruchstück vorhanden, auf welchem ein Theil von dem Bildnisse des Bischofs zu erkennen ist.

## CXXXIX.

Aus dem gerichtlich beglaubigten Kopialbuche des Stiftes S. Mauricii zu Minden.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Hinricus diuina fauente clementia rex. Si in monasteriis construendis studium habuerimus aut aliis nostris fidelibus idem volentibus assensum prebuerimus, non solum ad temporalis verum etiam ad eterni regni commodum hoc nobis profuturum esse non ambigimus. Quapropter notum sit omnibus christiane religionis cultoribus presentibus videlicet et futuris, qualiter Bruno Mindensis episcopus nos adiit, et monasterium ex propriis hereditatis sue bonis, in insula quadam Wisare fluminis iuxta Mindun posita, et sub potestate sancti Petri apostoli constituta, in honore sancti Mauricii martiris sociorumque eius et aliorum sanctorum, et pro nostri patris Chonradi imperatoris memoria, qui eundem pontificali dignitate sublimauit, et pro nostra sospitate et regni nostri stabilitate, et pro se suisque antecessoribus siue successoribus suisque etiam parentibus, a nobis licentiam construere impetravit, quo in loco vitam monachorum constituere, eisdemque abbatem se licenter ordinare nos postulauit. Et quia vllam in hac re nouitatem incipere vel nos aliquid exinde postulare antea non presumpsit, quam monasteriis suis que inuenit aliquod supplementum adderet, locumque hunc sub nostram defensionem suscipere nos rogauit. Cuius petitioni quia iusta ac religiosa fuerat, nequaquam contrarii, ob interuentum videlicet

familiarium nostrorum Hirimanni Coloniensis Archiepiscopi et Hunfridi Magdeburgensis episcopi, simul etiam cum consensu ceterorum nostrorum fidelium qui tunc temporis presentes affuerunt, prefatum monasterium construere et monasticam vitam abbatemque inibi constituere illi permisimus. Quod cum merito eius desiderio permitteremus, eo tamen maiori fiducia voto ipsius consensimus, quia sicut prediximus idem episcopus in primis sedis sue primatem ecclesiam fratrumque suorum prandium ibidem Deo sanctoque Petro famulantum de hereditariis suis bonis benigne adauxit. Et duo monasteria, sancte Marie videlicet et sancti Martini, ab antecessore suo Siegerberto episcopo incepta, iste alterum eorundem quod est sancte Marie et opere et consecratione consummavit, alterum sancti Martini vero ex parte deuote augmentauerat, aliaque monasteria que in episcopatu eius sub suo iure erant, et prandia ibi Deo seruientium fidei charitate suppleuit, quatinus votum suum in hoc quoque monasterio eo maiori fiducia postmodum expedire posset, quo ecclesiae suis quas inuenit vtilitatibus antea prodesset. Ad idem vero monasterium ex proprie hereditatis sue bonis siue et ex aliis quecunque acquirere potuit collationibus octoginta mansos cum mancipiis, villis, areis, edificiis, agris, terris cultis et incultis, viis et inuis, exitibus et redditibus, quesitis et inquierendis, pratis, pascuis, siluis, aquis aquarumue decursibus, punctionibus, molendinis et vtilitate siluarum, Nec non cum omnibus appendiciis que dici aut nominari possunt, tradidit perpetualiter ibi permanenda, exceptis his que vel ipse Deo opitulante postea acquirere poterit, vel collatione fidelium huic prouenire possint ecclesie, quin etiam triginta mansos et octoginta aratra decimationum de monasterii sancti Petri bonis ad supplementum eidem monasterio condonauit. Constituit quoque vt per singulos annos in festiuitate sancti Mauricii eiusdem sedis episcopus cum fratribus monasterii sancti Petri ad supradictum monasterium veniat ac missarum solemnia celebret ibique prandendo charitatem adimpleat. Et si episcopum adesse aliquid impediat, fratres tamen ibi eadem charitatis vocatione conueniant, vt per hanc concordiam et dilectionem in Dei servicio deuoiores coadunentur. Atque vt eadem ecclesia cum bonis suis nunc ab ipso ei collatis vel postmodum conferendis ab eius successoribus vel ab aliis magis secura consistenter, in mundiburdum sancti Petri et tuitionem nostram et sub potestatem episcopi loci illius collocauit. Idcirco notum sit omnibus, qualiter id ipsum monasterium eiusdemque abbatem et fratres inibi manentes sub nostra regali siue imperiali successorumque nostrorum tuitione defendi volumus, sic scilicet ut nullus eiusdem episcopi successor potestatem habeat bona eiusdem monasterii aliquo modo destruere aut minuere. Quare si vel ille vel alias aliquis huius destructor et monasterii bonorumque suorum dissipator vere sciatur, quia abbati fratribusque ibidem Deo seruientibus in nobis nostrisque successoribus certum est inde refugium. Et vt hoc nostre concessionis preceptum per omne tempus stabile permaneat et inconuulsum, hanc paginam inde conscriptam subtusque manu propria corroboratam sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Datum decimo kalendas Februarii, anno dominice incarnationis millesimo quadragesimo tertio, Indictione undecima, Anno autem dni. Hinrici ordinationis XV. Regni vero quarto. Actum Goslare in Dei nomine feliciter Amen. Adelgerus Cancellarius vice Bardonis Archicapellani recognouit.

## CXL.

C. In nomine sanctae et indiuidue Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Si regiae liberalitatis munificentia locis Deo dicatis quiddam conferimus, || et ad temporalem uitam et aeternam nobis profuturum esse liquido confidimus. Quapropter omnium Christi nostrique fidelium tam futurorum quam presentium sollertia nouerit, qualiter nos precipue pro amore diuino et animae nostrae remedio, tum ob interuentum dilectae nostrae AGNETIS reginae, quasdam res ab antecessoribus nostris regibus uel imperatoribus monasterio Heriordensi in honorem sanctae Dei genitricis perpetuae uirginis MARIAE constructo, et beatae BOSINNE corporaliter inibi quiescenti, duas scilicet curtes OVERANBERH et LIVT-WINESDORF, in usum sanctimonialium Deo ibidem famulantum datas, nostrae auctoritatis renouare scriptis et confirmare uoluimus, sitas in pago Angeresgauwe et in comitatu WITECHINDI comitis, cum omni-

bus suis appendiciis, hoc est utriusque sexus mancipiis, arcis, aedificiis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, siluis, uenationibus, exitibus et redditibus, uiis et inuiis, quae sitis et inquirendis, cum omni utilitate quae ullo modo inde poterit prouenire. Ea uidelicet ratione, ut predicta loca in usum sanctimonialium inibi omnium remota contradictione perpetualiter teneantur, nulli in beneficium prestanda. Illud etiam cum antecessorum nostrorum traditione et astipulatione benigne concedimus et confirmamus, ut sanctimoniales inibi Deo famulantes arbitrium et protestatem habeant eligendi abbatissam, cum quaelibet earum locum morte intercidente mutauerit, et ut nulla iudicaria persona in his quae eandem ecclesiam continere uideatur, uel exactor, uel publicus iudex causas agere uel freda exigere, seu ad mansiones uel ad quodlibet ministerium compellere presumat, nisi aduocatus quem eiusdem loci elegerit abbatissa, locorum quidem horum homines a coeterorum omnium districtu sint liberi. Et ut haec regiae nostre traditionis et confirmationis auctoritas stabilis et inconuulsa omni aevo permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria ut infra uidetur corroborantes sigilli nostri iussimus impressione signiri.

*Signum domini Heinrici terci (L. M.) regis invictissimi.* + CR. +  
*Theodericus cancellarius vice Bardonis archicancellarii recognouit.*

Data VII. Kal. Oct. Anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>.XL.III. Indictione XII. Anno autem domni Heinrici terci ordinationis eius XVII. regni uero VI. actum Aquisgrani in Dei nomine feliciter AMEN.

Das Siegel ist zerstört.

#### CXLI.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. || Nouerint omnes fideles nostri tam futuri quam presentes, qualiter nos ob diuinum amorem et ob remedium animę nostrę ac fidelis nostri Adalhardi, ad ecclasię sanctae Dei genitricis MARIAE semper uirginis, et sancti Kiliani martiris sanctique Liborii confessoris et sanctę Brigidę uirginis, in elemosinam fratrum inibi Deo sub canonica regula seruientium, tale preedium quale nos habuimus in Euerschutte dicto in pago HESSI, in comitatu Bennonis comitis, cum omnibus ad idem pertinentibus, scilicet arcis, mancipiis utriusque sexus, edificiis, agris, terris cultis et incultis, pascuis, campis, siluis, uenationibus, aquis aquarumue decursibus, piscationibus, molis, molendinis, uiis et inuiis, exitibus et redditibus, quae sitis et inquirendis, seu cum omni utilitate quę ullo modo inde prouenire poterit, per hoc nostrum imperiale preceptum in proprium concessimus atque condonauimus, et illuc perpetualiter existendum tradidimus, eo quoque tenore ut nullus rex, dux, comes, uel ulla alia magna paruaque persona id ipsum inde alienare uel auferre presumat. Si quis autem huius nostre kartae temerarius violator extiterit, diuinae sententiae periculum incurrat, et in die iudicii inde reddere se sciatur. Et ut haec nostre traditionis auctoritas stabilis et inconuulsa omni tempore permaneat, Hanc kartam inde conscriptam subtusque manu propria corroboratam, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domini Heinrici invictissimi Romanorum imperatoris (L. M.) augusti.*  
*Hartuicus cancellarius vice Bardonis archiepiscopi et archicancellarii recognoui.*

Data III. Non. SEPT. anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>.XLVII. Indictione XV. anno autem domni Heinrici terci ordinationis eius XVIII<sup>o</sup>. regnantis VIII<sup>o</sup>. imperantis I<sup>o</sup>. Actum in SOSAET feliciter AMEN.

Das aufgedruckte Siegel zeigt den Kaiser auf einem Stuhle sitzend, in der rechten emporgehobenen Hand den Reichsapfel mit einem grossen Kreuze, in der linken einen langen Stab mit grossem rundem Knopfe haltend; mit der Umschrift: Heinricus Di. Grā. Romanoꝝ. Imper. Aug. †.

## CXLII.

IN nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Rodo Dei gratia Patherbrunnensis ecclesiæ episcopus. || Quia saluatore nostro attestante, qui recipit prophetam in nomine prophetæ, seu justum in nomine justi, mercenariem prophetæ uel justi accipiet, expedit omnibus fidelibus obtemperare monitis salutaribus, rebusque transitorii acquirere sibi requiem celestis mansionis. Vnde nouerint omnes fideles Christi tam presentes quam futuri, qualiter nos diuini amoris instinctu, pro remedio anime nostræ predecessorisque nostri venerabilis domini Meinwerci episcopi, monasterio ab ipso in suburbio huius nostræ sedis in honore Sancte Dei genitricis MARIE perpetue uirginis, Sanctorumque Apostolorum PETRI et PAVLI constructo, cui Wolfgangus venerabilis abbas preest, territorium quoddam in Folbettinchuson ad amminiculum prebendæ fratrum contulimus, quod cum omnibus suis appenditiis viginti marcis a quodam libero homine Bernhardo nomine suisque heredibus legaliter proprietario jure acquisiuimus. Deditus preter hec locum salis in Vlon, uas argenteum, de decimis episcopii nostri in Wilgodessun triginta solidos singulis in posterum annis, de quibus continuum lumen ad sepulchrum predicti domni Meinwerci episcopi prouideatur et in anniuersario depositionis eius et nostro fratribus in refectorio karitas in nostræ commemorationis memoriam amministretur. Hec Deo sanctisque eius tali tenore ut predictum est deuota mente oblata, banni nostri auctoritate confirmauimus, per terrible nomen Dei qui judicaturus est uiuos et mortuos et seculum per ignem contestantes, ut nulla persona magna uel parua, domestica uel extranea, contra huius rei seriem uenire agereue presumens, prefati monasterii fratribus quamlibet injuriam uel molestiam inferat. Quod si quis presumptuose temptauerit, damnationem et ultiōem inuasoribus ecclesiarum predestinatam a Deo incurrat, et cum diabolo et angelis eius sempiternæ maledictioni, nisi resipuerit, subiaceat. Ut ergo tam predictarum rerum oblatio, quam nostri episcopalnis banni confirmatio ueraciter credatur, stabilisque et inconuulta omni tempore habeatur, paginam hanc in testimonium ueritatis conscribi jussimus, et eam impressione sigilli nostri signauimus. Huius rei testes sunt tam canonici quam Monachi nostræ ciuitatis. Laici uero. Erp. comes. Esic. Heinric. comes. Eppa. Eckihard. Thiederic. Engilmer. Athalbald. Heriman. Godika. Hunald. Godefrid. Warmon. Iba. Ethelric. Ezilin. Vnumer. Tiaza. Wicman. Wicker. Azaka. Tiaza. Eiza. Hiza. Liuza. Eika. Gela. Sicca. Tiemma. Ezika. Vnuka. Ennika. Bennika. Emmica. Azaka. Item Azaka. Willika. Alabrant. Gerald. Bezelin. Ebbika. Esic. Tiezelin. Helmier. Bernheri. Wirinbrath. Gezelin.

Data Patherbrunnon. V. Id. April. Anno ab incarnatione Domini M.XLVIII. Indictione I. Regnante rege HEINRICO tercio.

Von dem aufgedruckten Siegel sind nur noch Spuren vorhanden.

## CXLIII.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Immodus Dei gratia Patherbrunnensis ecclesiæ humilis minister. || Officii nostri est et desiderii, paci ecclesiarum nobis commissarum inuigilare, et earum utilitatibus in futurum Dei cooperante adiutorio paterna sollicitudine prouidere. Vnde nouerint omnes fideles Christi tam presentes quam futuri, qualiter dominus Wolfgangus uenerabilis nostræ ciuitatis abbas iugi uigilantia sic subditorum profectibus prospiciens, ut internorum curam in exteriorum occupatione non minuat, exterorumque prouidentiam in internorum sollicitudine non relinquat, fraternæ unanimitatis consensu et consilio, preium quoddam in Sturibrock, a quodam viro Ricberto nomine suisque legitimis heredibus in comitatu Erponis comitis legali iure triginta marcis acquisiuit, quod pro spe salutis sue et incolumitatis augmentatione communis utilitatis rebus monasterii cui hactenus laudabiliter prefuit, utiliter adiecit, cuius suorumque fratrum supplici rogatu, tum etiam dilecti nobis auunculi nostri domni Meinwerci uenerabilis episcopi ipsius ecclesiæ fundatoris intuitu, ipsum preium cum omnibus suis appendiciis, hoc est utriusque sexus mancipiis,

Cod. dipl. hist. Westfal.

terris cultis et incultis, pratis, pascuis, siluis, uiiis et inuiis, ceterisque rebus que in eo sunt uel deinceps fieri possunt, nostra pontificali auctoritate confirmauimus, et omnem hominem qui contra huius rei tenorem uenire agereue temptauerit, anathematis innodari uinculo quoadusque resipiscat censuimus. Ut autem hec nostrę pontificalis confirmationis auctoritas stabilis et inconuulsa a generatione in generationem iugiter permaneat, hanc paginam conscribi et sigilli nostri impressione signari, testesque qui affuerunt fecimus assignari. Sunt autem hi. Erp comes. Heremannus tribunus. Godica. Tiamma. Azala. Gela. Eiza. Meinza. Eica. Azaka. Thiaza. Poppo. Waza. Afric. Esic. Waldric. Godefrid. Hunald. Ezelin. Volckerd. Vnumer. Godescalc. Eza. Ebbica. Wicman. Sibal. Wigunc. Germer. Hager. Bescelin. Liudric. Thiethard. Helmdach. Hunald iunior. Waldric. Actum Patherbrunnon III. Non. Febr. Anno ab incarnatione Domini M.LII. Anno autem domini Heinrici terci regis, imperatoris autem secundi, ordinationis eius uigesimo quarto, Regni quidem XIII<sup>mo</sup>. Imperii uero V. Episcopatus autem nostri primo.

Das aufgedruckte kreisförmige Siegel zeigt das vorwärts sehende Brustbild des Bischofs, mit entblösstem Haupte, in der rechten Hand den Bischofsstab, in der linken ein geschlossenes Buch haltend; mit der Umschrift: Immad. Gra. Dī. Paderbron. Ep-s. †.

#### CXLIV.

Nouerint omnes tam futuri quam presentes, qualiter Sicco quicquid proprietatis in Naulgowe in uilla Ruoleichesdorf uel Builo in comitatu Herimanni ex dono Conradi imperatoris possedit, sanctę ecclesię Patherbrunnensi iure Francorum, concedente et simul tradente uxore sua Azelon, cui idem Sicco preuidum hoc in dotem dederat, in proprium tradidit et legauit, ea uidelicet ratione ut sibi ad exitum uitę sue in precaria sine seruitio V. libré in decimationibus et XV. in debitibus litarum uectigalibus concederentur, uxori uero ipsius, si forte post mortem eius superstes foret, tantum V. illę decimarum libré ad obitum uitę sue prestarentur. Quibus utrisque defunctis episcopus sua reciperet, et quod sibi placuerit inde disponeret. Ad hoc idem Sicco feras IIII. in foresto Reingereshusun singulis annis concedi postulauit, que omnia uenerabilis IMMADVS episcopus concessit, laudauit, et manuscripto confirmauit. Si uero dominus Immadus episcopus uel successorum eius quisquam pactum hoc infregerit, Sicco liberam habeat potestatem sua recipiendi et quod uoluerit inde faciendi. Huius rei testes sunt, tam clerici quam laici, tam nobiles quam ignobiles. Winbrat. Adelo. Thiattoduard. Gerold. Hezo. Thiederic. Bernhard. Wulfer.

Ein Siegel scheint nicht vorhanden gewesen zu sein.

#### CXLV.

Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus, qualiter Wirinbertus, cum consensu et laude filii et iustissimi heredis sui Bouonis, duo curtilia in pago Thietmelli et in uilla Aldenthalpo, et XL. iugera et X. iugera in Remikenhusun et insuper medietatem cuiusdam siluulę in Bennenberge, sanctę Patherbrunnensi ecclesię et domino ac uenerabili IMMADO eiusdem sedis episcopo in proprium tradidit, legauit, concessit. Ea uidelicet ratione ut prefatus episcopus I. Tres uillas. Odisthorp. Lauenhushun. Thesperi. ad ecclesiam que in Odisthorpe sita et consecrata est terminaret, et terminationem episcopali banno firmaret. Quod ut firmius ac magis ratum inconuulsumque permaneat, idem Wirinbertus ecclesię que est in Liuithi, et Widikindo presbytero, de cuius parochia tres prefatę uille sumptę sunt, ipso annuente et conlaudante, unum mansum in Ubbenbrocke in proprium tradidit ac donauit. Quod si prefatus episcopus I. uel aliquis successorum eius terminationem hanc infringere, et predictas uillas auferre uoluerit, liberam habeat potestatem Wirinbertus uel heres eius sua recipiendi et quod uoluerit inde faciendi. Hi sunt testes. Bernhard. Ibo. Benno. Bernhard. Wiribraht. Thiammo. Wirinzo. Bescelin. Acelin Brunig. Hocil. Ermundag. Ekbraht.

Ein Siegel scheint nicht vorhanden gewesen zu sein.

## CXLVI.

Aus dem Paderborischen Kopialbuche.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Nouerint omnes tam futuri quam presentes, qualiter Asculff cum consensu et laude fratrum suorum Burghardi, Fretherici, iüstissimorum heredum quicquid proprietatis in pago Rittiga et in uilla Ascoluingerothe in comitatu Theoderici comitis hereditario iure possedit, sancte Patherbrunnensi ecclesie in proprium tradidit, legauit, concessit, in agris cultis et incultis, siluis, pratis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, piscationibus, molis, molendinis, quesitis et inquirendis, exitibus et redditibus, et omnibus iure ibi pertinentibus, ea uidelicet ratione, ut unum foreuerc in Daslingerote cum omnibus suis appendiciis et insuper VI. litę concedantur ei in precariam ad exitum uitę sue, et pro ipsius seruicio libra denariorum detur ei omni anno, conlaudante et corroborante hoc domno et uenerabili Immado eiusdem sedis episcopo. Si uero aliquis uenturus episcopus constitutum hoc infringere et concessa sibi tollere uoluerit, liberam habeat potestatem Ascolf sua recipiendi et quod libitum ei fuerit inde faciendi. Huius rei testes sunt. Ekkibraht. Fretheric. Reinold. Oddo. Helmdag. Cono. Ekbraht. Ricuual. Hoico. Aluolf. Iciko. Sibraht. Azo. Ascolf. Reinmar. Meingrim. Hozico. Erpo. Heio. Thammo. Thiathard. Hamaca. Vneca. Athelbarn.

## CXLVII.

Aus einem Kopialbuche des Martini-Stifts.

Ego Egilbertus Dei gratia Mindensis episcopus. In nomine Domini nostri Jesu Christi aecclesiae sancti Martini ad prebendam fratrum, Almagehuson, Bodinga burstal, quae acquisieram ab quadam matrona cui nomen Helmburch, in Adelberinghuson quoque tale preedium qualemcumque mihi dederat Godefridus filius Bardonis comitis, et decimationem in eodem loco. Insuper unam decimationem in Vanredere XXX. solidorum, et unum molendinum Mindae. Ex hiis constitui singulis diebus unicuique fratrum album panem dari trium librarum pondere, quibus non dabatur prius nisi dominicis et paucis festis diebus. Dedi quoque duo aratra in Egisbergun ad concinnandum lumen in dormitorio fratrum quod prius non habebant. Insuper dedi sancto Martino preedium in Manninchuffen, quod antecessores mei ab quadam matrona Hizuka tribus decimationibus precariando acquisierant, et unam decimationem Lutteron. Preterea cum consensu et collaudatione clericorum et laicorum bannum super ciuitatem Mindam, ad aedificandum et meliorandum claustrum, ad preposituram sancti Martini perpetualiter constitui. Ego Egilbertus Mindensis episcopus haec propria manu scripsi, et ut sciatur eum esse inbannitum, quicumque ex hiis donationibus minimam partem usurpauerit, tam futuris quam presentibus, sigilli officio assignauit.

Ego Egilbertus Mindensis episcopus haec propria manu scripsi et sigillaui.

## CXLVIII.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Egilbertus humillimus Mindensis aecclesiae Deo annuente episcopus. || Omnibus suis successoribus diuina ordinatione futuris post huius uitae longitudinem aeternam beatitudinem. Quam uana et quam instabilis huius mundi gloria sit omnibus quae uelut umbra pertransit, cuius memoria amplius nulla erit, beatae memoriae antecessor meus, huius Mindensis sedis antistes Bruno, quicquid de propriis hereditario iure sibi successis, et de eiusdem sibi commissae aecclesiae beneficiis extra usum necessarium habere potuit, ibidem Deo famulantium ad sustentationem, pro Chōnradi imperatoris memoria, suique filii Heinrici terci regis sospitate, et regni eiusdem stabilitate, nec non pro se suorumque antecessorum et cunctorum se post subsequentium, seu pro omnium fidelium tam

45\*

defunctorum quam uiuentium requie fideliter contulit, quatinus pro his transitorii aeterna beatitudine perfrui mererentur in caelis. Huius pie deuotionis conceptum diuinæ miseracionis indeficiens clementia, quae semper quod bonum est inspirando praeuenit, dedit etiam perficere, quod se inspirando excogitauit. Loci igitur eiusdem monasteria quae antecessorum suorum industria inuenit constructa et iusta eorum collatione adaucta non solum mihi sua sollicitudine reliquid inuiolata, sed de propriis hereditatis suae bonis satis ample et magnifice in prandiis fratrum et sororum ibidem in Dei seruitio manentium augmentata. His uirtutum gradibus predictus Dei famulus ad alta proficiscens, coepit in insula quadam Wisarae fluminis iuxta Mindon posita aecclesiam fundare ad laudem et honorem domini nostri Jesu Christi sanctique Petri patroni nostri et sancti Gorgonii martiris, et speciali sancti MAVRITII sociorumque suorum commendatam priuilegio, in qua religiosos monachos congregauit, quatinus in sancto proposito tanto liberius ibidem Deo seruirent, quatinus a secularibus longius distarent. Verum haec in Deo rite administrata, uti per omne tempus inconulsa permaneant, sapienti usus consilio sub tuitionem Heinrici inperatoris suorumque successorum in perpetuum defendendam ipsam aecclesiam collocauit. Huius uenerabilis patris tam egregia facta quotiens ego indignus et omnium minimus mecum reuoluo, illius uicem suscepisse ualde erubesco, qui in nullo opere actus eius prosequi ualeo. Sed haec mihi sepius cogitanti occurrit illa sancta uida quae pro duobus minutis recepta est in aeterna tabernacula, et quod prius paruitas mihi hereditatis negauit, bona uoluntas postmodum habundanter subministravit. Tradidi uero ad idem monasterium quod Bruno antecessor meus construxit, ex his quae ad ius meum proprie pertinebant, nec quisquam mihi contradicere habebat, LVI. mansos et XXVIII. mancipia utriusque sexus. In RETERESTHORPE per singulos annos II. carrata uini. In Lindungou III. mansos. In WETBERGA III. mansos. In AMANHVSON X. mansos cum V. mancipliis. In HEVERICSTIDE III. mansos cum IIII. mancipliis. In HVMENHEIM X. mansos cum I. prato, et cum V. mancipliis. In WEHCBIAE XIII. mansos cum X. mancipliis et I. molendinum. In ALES-BIKE VIII. mansos. Et decimacionem in VALETHORPE, et in VNHVSON, et in HOLTHVSON, et in HILDINESFELDA decimationem trium aratrorum. In HOLTHVSON II. mansos et I mancipium. In OTHERON II. mansos et V. mancipia. In WICBOLESSON II. mansos. In HATDISSON II. mansos. In PAPINGOHVSON I. mansum et I. aream. In DEDINGOHVSON I. mansum et I. aream. Et aream I. in ipsa ripa fluminis Wi-sarae iuxta Scaleburg ad acquirenda ligna in silua uicina. Et hortum I. in Mindon iuxta curtum episcopalem. Haec pro nostra mediocritate huic contulimus aecclesiae, et uti perpetualiter inuiolata et inconulsa permaneant, ex auctoritate sanctae et indiuiduae Trinitatis et principiali potestate beati Petri apostoli, cuius vicem ego indignus gero, quisquis ea infregerit aut ulla fraude minuerit, nisi cum satisfactione redeat, in perpetuum excommunico, nec sit ei pars in terra uiuentium, sed corpore et anima descendat in infernum.

Das Siegel ist verloren gegangen.

### CXLIX.

**C.** In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. ||

Nouerint omnes Christi nostrique fideles tam futuri quam presentes, qualiter antecessor noster et amabilis pater dignissimae memoriae Heinricus tercarius rex et secundus imperator augustus premium quadam dedit in concambium sanctae Patherbrunnensis aecclesiae uenerabili episcopo Rödolfo pro uno foresto Reginherishusun dicto eidem aecclesiae pertinenti. Et hoc concambium quamdiu uterque uixit tamdiu ratum permansit. Sed post patris nostri semper lamentandum obitum nos pro animae illius aeterna reuiae et per interuentum dilectissimae matris nostrae Agnetis imperatricis augustae, nec non ob deuotum ac fidele seruicium Immadi prefatae aecclesiae post Rödolfum digni presulis, forestum reddidimus, atque ad altare sanctae Mariae matris Domini, et sancti Kiliani martyris sanctique Liborii confessoris ipsum pre-dium scilicet curtum unam dominicalem Puningun dictam cum tribus minoribus, Sumerseli, Bettesdorf, Julibichi, quae uulgo dicuntur Forauuerch, cum uizinti septem mansis ad easdem curtes pertinentes, in

pagis Westualun et Treine situm et in comitatibus Bernhardi ducis et Rotgeri atque Bernhardi comitum, cum omnibus suis appendiciis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, aedificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, siluis, uenationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, exitibus et redditibus, uii et inuiis, quæsitis et inquirendis, et cum omni Jure et utilitate quæ ullo modo inde poterit prouenire, in proprium dedimus atque tradidimus, Ea scilicet ratione ut iam dictus Immadus Patherbrunnensis sedis uenerabilis antistes suique successores de prenominato predio liberam deinceps potestatem habeant tenendi, commutandi, precariandi, uel quicquid sibimet tantum in usum aecclesiae placuerit inde faciendi. Et ut haec nostra regalis traditio stabilis et inconulsa omni permaneat aeuo, hanc cartam inde conscriptam manu propria corroborantes sigilli nostri impressione ut subitus cernitur iussimus insigniri.

*Signum domini Heinrici quarti regis. (L. M.)*

*Gebehardus cancellarius uice Liutpoldi archicappellani recognoui.*

Data est VII. Id. Apr. Anno dominicae incarnationis M. L. VIII. Indictione XII. Anno autem ordinationis domini Heinrici quarti regis V. regni uero III. Actum apud Traiectum in Dei nomine feliciter Amen.

Das Siegel, welches neben dem Monogramm aufgedruckt war, ist verloren gegangen.

### CL.

Original im Besitz des Bibliothekars Mooyer in Minden.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. || Omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam presentibus notum esse uolumus, qualiter Egilbertus episcopus sanctae Mindonensis aecclesiae in honore sancti Petri apostolorum principis constructae in nostram attulit presentiam piissimi nostri genitoris Heinrici imperatoris augusti ceterorumque antecessorum nostrorum regum uel imperatorum scripta, in quibus continebatur, qualiter ipsius prefatae aecclesiae res cum omnibus in ipsis rebus consistentibus in illorum receperunt mundiburdium ac defensionem, precatusque est serenitatem nostram, ut hoc ipsum a nostre imperialis potestatis consensu fieri non recusaremus. Nos autem ob amorem Dei nostreque animae remedium nec non pro regnorum nostrorum stabilitate, predecessorum nostrorum et paternos mores sequentes et eius benignitati assentientes, ita fieri decreuimus, precipientes ut nullus iudex publicus uel quilibet ex iudicaria potestate in aecclesias aut loca uel agros seu reliquias possessiones iam dictae aecclesiae, quas nunc infra ditionem regni nostri legibus possidet uel quae deinceps in iura eius diuina pietas uoluerit augeri, ad causas audiendas, uel freda exigenda, mansiones uel paradas faciendas, aut fideiuersores tollendos, aut homines ipsius aecclesiae, frances liberos et aecclesiasticos litones maſalman uel seruos cuiuslibet conditionis seu colonos contra rationem distingendos, nec ullas redhibitiones uel inlicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, aut bannum siue heribannum seu ea quae supra memorata sunt ab illis penitus exigere presumat. Hominibus quoque eidem aecclesiae famulantibus predictum mundiburdium constituimus, ut etiam coram nulla iudicaria potestate examinentur, nisi coram episcopo et aduocatis eius, quos eiusdem aecclesiae episcopus elegerit. Insuper etiam bannum nostrum et monetam teloneumque siue macellum publicum ibi construi licere, et quicquid ad nostram potestatem pertinere uidebatur, eidem aecclesiae donauimus, quicquid uero fiscus exinde sperare potuerit, pro aeterna remuneracione predictae aecclesiae ad stipendia pauperum et luminaria concinnanda concessimus, et per se episcopus cum omnibus rebus suis nostro fideliter pareat imperio, et sub nostra constet defensione, uti ceterae regnorum nostrorum aecclesiae et episcopi, quatenus ipsum fratresque eiusdem loci pro nobis dominum melius et iugiter orare delectet. Concessimus quoque eisdem fratribus licentiam eligendi inter se pastorem dignum et idoneum, saluo tamen regis siue imperatoris consensu. Et ut haec

nostra regalis confirmatio stabilis et inconulsa omni permaneat aevo, hanc cartam inde conscribi manuque propria corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domini Heinrici quarti regis. (L. M.)*

*Gebehardus cancellarius vice Liutpaldi archicancellarii recognoui.*

Data est VI. Kal. Aug. Anno dominicae incarnationis M.L.VIII. Indictione XII. Anno autem ordinationis domni H. quarti regis VI. Regni uero III. Actum Polide in Dei nomine faeliciter amen.

Das Siegel, welches aufgedruckt war, ist herausgeschnitten.

### CLI.

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, qualiter Imadus episcopus curtim quę est Uesperdon, quę in pago qui dicitur Sinehtueld sita est, cum omnibus suis appendiciis, tum in pratis, tum in campus, tum in siluis, tum in aquis, Paterbrunniensi hierosolitanę ecclesię in die consecrationis eiusdem ecclesię donauit ad laudem et gloriam beatorum apostolorum Petri et Andreę, tum pro se, tum pro auunculi sui Meinwerci episcopi memoria, qui huius ecclesię fundator exstitit. Hoc autem insuper constituit, ut in festo sancti Andreę fratres de matrice ecclesia illuc quot annis conuenirent et Dei seruitio deuote interessent, peractisque missarum sollempniis, communem de eadem quam dixi curti refectionem ibidem perciperent, et in cathedra sancti Petri in utraque congregatione dari unicuique fratri duos panes, I. album et I. nigrum, et II. carnes et I. assaturam, et I. eminam ceruisse et dimid. et I. hendilingum medonis. Si uero in XLma ipsa dies eueneret, daretur unicuique caseus integer et dimid. Hęc autem traditio banno Sifrithi archiepiscopi Mogontini, et Richerti Uerdensis episcopi, et ipsius christianissimi pastoris Immadi scilicet sanccta est, ut si quis . . . e hoc uel alia quę prius a Meginwerco episcopo ecclesię donata erant, infringere presumpsisset, ab illa cęlesti Hierusalem per . . . municatione cum Juda traditore secluderetur. Huic traditioni interfuerunt . . . s abbas loci istius. Tammo abbas de . . . huson. Werinhari camerarius Corbeigensis. Winotus prepositus. Hezelinus decanus omnisque cleris matris ecclesię. Prepositus . . . gico. Decanus noster Puluvel, nostreque congregationis fratres. Cinoman prepositus . . . emensis archiepiscopi. Egico et Wulfhard de Hiruordi. Bernhardus aduocatus. Rembertus et Witherald de D . . . Conradus de Burin. Cobbo. et alii multi nobiles et ignobiles, omnes ministri ad episcopatum pertinentes, cunctusque populus ad benedictionem congregatus.

Das Siegel, welches auf die Charte geheftet war, ist verloren gegangen.

### CLII.

C. In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Heinricus diuina fuenta clementia rex. Quantum regie liberalitatis est || ad usus ecclesię res uel hereditates donare, tantum regie dignitatis et benivolentię esse consistit, donata perpetua pace stabilique iure confirmare, ne quibus gaudet bene partis, unquam doleat peius amissis. Vnde omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam presentibus notum esse uolumus, qualiter nos X. mansos in villa Ersten dicta, in pago Engeren, in comitatu autem OSOLT comitis sitos, quos dilectissima mater nostra AGNES imperatrix augusta ob remedium anime sue et anime patris nostri pie memorie HEINRICI imperatoris augusti, nec non ob longeum uitam nostram uiteque tranquilla tempora, fratribus PODELBRVNEN Deo in ecclesia sanctę MARIE sanctique LIBORII confessoris seruentibus, cum omnibus appendiciis, hoc est utriusque sexus mancipiis, agris, pratis, pascuis, siluis, uenationibus, molis, molendinis, terris cultis et incultis, uiis et inuiis, exitibus et redditibus, quęsitis et inquirendis, in proprium tradidit, nos inquam eidem sancti, Dei congregationi perpetualiter confirmauimus, et in eternum contra-

dictione remota omnium possidendos concessimus. Ea uidelicet ratione, ut predicti fratres liberam inde potestatem habeant tenendi, in melius commutandi, uel quicquid ad communem illorum utilitatem voluerint faciendi. Et ut hec nostra regalis confirmatio siue traditio stabilis et inconulsa omni permaneat tempore, hanc cartam inde conscribi, manuque propria corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

*Signum domini Heinrici quarti regis. (L. M.)*

*Sigehardus cancellarius\*) uice Sigefridi archicancellarii recognoui.*

Data XIII. Kal. Augusti . . .

(Das übrige des Datums ist, durch Vermoderung des untern Theiles der Urkunde, verloren gegangen.)

Das aufgedruckte kreisförmige Siegel zeigt den König, in sehr jugendlicher Gestalt, auf einem Stuhle sitzend, in der rechten Hand einen Stab, auf dessen Spitze ein Vogel, in der linken den Reichsapfel mit einem grossen Kreuze haltend; mit der Umschrift: Heinricus Di. Gra. Rex. †

### CLIII.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Immadus Dei Gratia Patherbrunnensis ecclesie episcopus. || Quocienscumque religiosorum uirorum in suis oportunitatibus preces exaudientes, quieti et utilitati eorum paterno affectu prouidemus, ab omnipotente Deo, quem in suis membris honoramus, premium laboris nos recepturos fideliter et ueraciter speramus. Vnde omnium fidelium Christi presentium ac futurorum nouerit deuotio, qualiter dominus Eilbertus venerabilis abbas ecclesie beatorum apostolorum PETRI et PAULI, quam in occidentali parte suburbii ciuitatis nostrae dominus MEINWERCVS digne et laudabiliter memorandus episcopus auunculus noster deuotissime construxit, nos suppliciter adiit, et ut premium quoddam in comitatu Bernhardi ducis in villa que Hallo dicitur, quod a quodam uiro Thancmaro nomine suisque heredibus uiginti marcis comparauit, episcopalis auctoritatis confirmatione corroboraremus, humiliiter petiit. Cuius precibus gratuто annuentes, ipsum premium cum uniuersis ad hec legaliter pertinentibus, suis suouustis fratribus presentium ac futurorum usibus banni nostri munimine confirmauimus et presentis scripti paginam in monumentum et munimentum perpetuum sigilli nostri impressione insigniri mandauiimus. Huius rei testes sunt. Adelbertus comes. Ekkibertus comes. Fritheric. Oddo. Cono. Erpo. Hoico. Azo. Iciko. Hociko. Heio. Tammo. Hamaka. Vnika. Reinmar. Item Reinmar. Meingrim. Thiathard. Adelbrand. Ascolf. Aluold. Sibrath. Ricwald. Ecbrath. Helmdag. Reinold. Ekkibrath. Brunhard. Beccelin. Weliko. Brun. Widelo. Liefdach. Wlfheri. Thancmar. Acta sunt hec Patherbrunnon. Kal. Aug. Anno ab incarnatione dom. M. LXVI. Ind. III. Regnante Heinrico rege III.

Das aufgedruckte Siegel ist das bereits beschriebene.

### CLIV.

Nach dem Original im Archive zu Osnabrück. \*\*)

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus (tam presentibus quam) futuris, qualiter dominus Gisilbertus et domna Cuniza, presente scilicet sorore sua et collaudante, duo loca (uide licet) Essene et Bamuuide cum familiis et mancipliis nec non et aliis utilitatibus ad illa iure pertinentibus,

\*) Da dieser Kanzler sich in Urkunden von 1064—1069 findet, so lässt sich hiernach die Zeit dieser Urkunde annähernd bestimmen.

\*\*) Die eingeklammerten Worte sind, durch Beschädigung des Originals, verloren gegangen, und hier nach Wahrscheinlichkeit ergänzt.

domino (Bennoni) episcopo superstite eiusque aduocato Euerhardo ad Osnabrugensem ecclesiam sancto Petro apostolo in haec uerba . . . tradiderunt, ut quot annis uitę suę econtra in beneficium IIIor. libras decimacionis et IIIor. feras, id est duos porcos et duas ceruas illi utrique ad usque finem uitę suę haberent. Isti sunt testes qui hoc uiderunt et audierunt. Canonici. Eilhard. Fobrath. Eiluuord. Athalbrath. Liuzico. Alfuord. Nobiles laici. Otto prefecti Godescalci filius. Haolt. Amulung. Vuerin. Ezo. Benniko. Hrothulf. Hezil. Godebold. Thiederic. Thiedo. Vuidilo. Liudolf. Celico. Ricfrith. Ratolf. Vdo. Vuerinheri. Azo. Odo. Bernold. et alii multi, nec non et omnes ciues. Haec sunt loca in quibus decimatio sita est. Bamuuida. Vuernapi. Nimodon.

Von dem unten seitwärts mit Pergamentstreifen angehefteten Siegel ist noch ein grosses Stück erhalten und auf demselben das vorwärts sehende bischöfliche Brustbild kenntlich.

### CLV.

Aus dem Kopialbuche des Johannis-Stifts zu Osnabrück.

Prebenda fratrum constituta est maxime ex istis villis. Hengerinchusen. Thiedenhusen. Dodishusen. Gretanescha. Aldontorpa. Heslim. Burcla. Hramasithi. Haren. Gerithi.

Dei gratia B. Episcopus. Successoribus suis episcopis semipiternam salutem in Christo. Nouerit caritas uestra ymo diligenter attendat que in hac pagina dicturus sum de Prepositura ad sanctum Johannem Osnab. Sancte memorie dominus Thetmarus Episcopus congregationem canonicorum ibi primus instituit. Post illum Meginherus pie memorie cum suis denariis locum ampliauit atque regulariter ordinavit. Primi prepositi res ecclesie diligenter seruabant, cenobiales diuinis secularibusque alimentis sapienter pascebant. Deinde imprudenti consilio constitutus est in prepositum quidam nomine Tiho. Propter illius negligentiam, desidiam, ignauiam, honor claustrī penitus defecit. Ministri deputati super decimas et uillas bona fratrum ad se trahebant, tanta fraudulentia ut de libris Triginta duabus non amplius profiterentur quam tredecim libras. Et nepharium illud furtum stabat fere XL. annis. Tam scelerati sacrilegii princeps erat quidam Hartericus archidiaboli signifer ad destruendum Dei seruicium. Ad ultimum Deo nostro summas grates atque gratias agamus, quod tam diu opertum erat reuelatum est. Deinde prout uisum est meis fidelibus distribui singulis officiis quantum euenire potuit sicut infra videbitur, ad mensam fratrum viginti quatuor libras, ad uinum emendum III. libras, ad auxiliu beneficium prepositi cum duabus libris, ad ecclesie tectum unam libram ad emendum scindulas. Insuper remanent II. libre preter frisgingas et pingues porcos, preter coniuicia, preter uestimenta fratrum atque beneficia, et quidquid potest fieri de ociosis aruis. Nam Deus dixit, Ego sum uia, ueritas et uita.

### CLVI.

Original im Besitze des Bibliothekars Mooyer in Minden.

Notum esse cupimus omnibus fidelibus tam futuris quam presentibus, qualiter E. Mindensis episcopus et dux scilicet MAGNVS conuenerunt in capella quę est in uilla Runiberc, et fide data dextras inuicem acceperunt, ea quidem conditione, ut ipse dux fidelissimus tutor et defensor sit Mindensis ecclesię in omnibus quidem rebus et bonis, familiis atque libertis, et ubique ius et ratio ualent tueatur firmissime, si autem ius et ratio uacillent, consilio iuuet fidelissime. Ipse autem dux decimarum quas auus suus dux B. felicis memorię habuit super curtes suas ex predicti Mindensis episcopi concessione eam tantum partem habeat, quę eum attinet in particione locorum cum patruo suo. Nam reliquam partem ipse comes H. prius est in beneficium consecutus. Et ipsa quidem decimarum loca inferius sunt subscripta.

(Hier hört aber die Urkunde auf, und zwar mitten in einer Zeile, woraus um so deutlicher erhellet, dass auf der kleinen Charte nie mehr geschrieben stand, wie denn auch unter der Schrift noch für mehr als eine Zeile leerer Raum übrig ist. Ein Siegel scheint nicht vorhanden gewesen zu sein.)

CLVIL.

Aus dem Konialbuche des Domstifts zu Paderborn.

Notum sit omnibus tum futuris quam presentibus, qualiter Immadus Paderburnensis Ecclesiæ Episcopus, memor humanæ fragilitatis et cœrñ in Christo retributionis, pro animæ sue suorumque predecessorum Meinwerchi scilicet et Ruodonis Episcoporum remedio, nec non et pro diuē memoriæ Heinrici secundi regis et primi imperatoris pię recordationis affectu, curtem Moronga in pago Moronga sitam et ab ipso Heinrico imperatore eidem Paderburnensi Ecclesiæ ad uestitum fratrum iam traditam, a Meinwerco episcopo retentam, a Ruodone uero episcopo eiusdem successore postea fratribus redditam, ab ipso autem hac usque iniuste possessam, patris et filii et sp̄ritus sancti tactus miseratione et fraterna ammonitus caritate, salubri penitencia ductus, fratribus suis ipsius Ecclesiæ canonicis ad uestitus sui supplementum absque omni contradictione reddidit, ea uidelicet ratione, ut unus fratrum preter Episcopum et prepositum eligatur, cui cum fraterna electione et episcopali consensu huius obedientiæ cura ingeratur, qui fideli dispensatione fratrum commoditatí preuideat et bene administrando cœrñ retributionis premium acquirat. Quod ut in conuulsum et stabile iugiter permaneat, bannis episcopalibus confirmauit et manu propria subscripsit, ut si quis umquam hanc ratam confirmationem uoluerit infringere, perpetuo cum Juda proditore feriatur anathemate.

Ego Immodus diuina fauente clemencia episcopus manu propria subscripti.

Actum dominice incarnationis anno M<sup>o</sup>LXXV<sup>o</sup>. Indictione XIII<sup>a</sup>. Regni autem Heinrici III<sup>ti</sup>. XVIII<sup>o</sup>. Episcopatus uero Immadi XXIII<sup>o</sup>. XV. Kal. Sept. in crypta Paderburnensis monasterii iuxta sepulchrum episcoporum coram omni cleri et populi conuentu et presencia feliciter ameN.

CLVIII

E. MSS. Henseleri.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Justicia est quae suum cuique ius tribuimus, qua uia si incesserimus uiam regiam sub duce magno IHCV in terram promissionis ingredimur. At si forte fragilitate humana rectis gressibus aliquando exorbitauerimus, legibus ecclesiasticis salubriter admonemur, ut ad uiam reuertamur iusticie, emendemus in melius quod per negligentiam aut maliciose peccauimus. Quam ob rem in omne tempus notum esse uolumus, quatinus fidelis noster BENNO secundus, uenerabilis sancte Osnebruggensis ecclesie episcopus, nostre celsitudinis clemenciam adiit, coepiscoporum suorum frequentia stipatus, ac ueterem super ecclesie sue decimis querimoniam lacrimabiliter in aures nostras effudit. Idem uero cum per omnem uitam suam a nobis optime meruisse, tum ea de causa dignior erat audiri, quod in omnibus necessitatibus nostris fideliter nobis et inremotus comes adhesit. Talis autem eiusdem fidelis nostri proclamatio fuit, quod antecessor noster vir diue et imperialis memorię KAROLVS ecclesiam sibi commissam a primis fundamentis condiderat et decimas in episcopio circumquaque terminatas eidem ecclesie in dotem contulerat, eo quod in prediis aut regalibus redditibus donaria ad manus in primiciis fidei et nouelle plantationis tempore illis in partibus nulla habebat. Quas donationes iuste a prefato principe eidem ecclesie datas et manuscripto regio sub impressione anuli ex more confirmatas, ad multum tempus aiebat ecclesie mansisse, usque dum bellicis perturbationibus pars earundem decimarum sub Ludeuico secundo per manus Copponis ab eadem scinderetur. Ea de causa cum per episcopos eiusdem ciuitatis actio et discussio in audiencia principum atque antecessorum nostrorum regum et imperatorum sepius haberetur, diiudicata est iustior pars episcoporum, iniustior aduersariorum. Evidem prefatus Coppo primus usurpator earundem decimarum cum totum occasione

Cod. dipl. hist. Westfal.

bellorum iniusta dominatione suos in usus raperet, partem Warino fratri suo germano Corbeiensi abbatii, partem abbatissę Adele Herefurdensi germanę sue concessit. Itaque episcopi causam hanc in curia agentes manifestis comprobationibus euicerunt, decimas ad sese legitima donatione redire debere. Ventilata est res in conciliis quatuor, primo Romę sub papa Stephano, secundo Triburię sub Arnolfo imperatore, tertio Bunnę, quarto Ingelinheim. Vt in omnibus possessio decimarum communi sententia episcopis adiudicatur. In ultimo etiam presentibus fere omnibus Teutonicarum partium episcopis, mediantibus Legatis Romanis, sub Johanne papa, cum XXX. librarum auri compositione restitueretur. Verum ut semper dominatur iniquitas iniustis, res superius emendata et correcta rursus corrupta est. Huiuscemodi uero causam cum fidelis noster prefatus Osnebruggensis ecclesię episcopus ad aures nostras sepius referret atque emendar et corrigi postularet, nos et etatis imbecillitate detenti et aduersariorum eius precibus exorati, multo tempore facere negleximus. Tandem assiduis eius et coepiscoporum suorum ius suum agnoscentium admonitionibus deuicti, locum et diem statuimus, ad quem episcopus et aduersarii eius cum manuscriptis utrumque uenirent. Aderant XX. aut plures episcopi, tum principes regni atque aliorum fidelium nostrorum numerosa multitudo. Lecta sunt in auribus omnium amborum cyrographa, dicta atque acta sunt diligentius omnia. Acclamatum est ab omnibus iustas esse partes episcopi, aduersariorum iniustas, atque ut eidem episcopo suę ecclesię iusticiam faceremus studiosius omnes instabant. Quam ob rem iniustum putantes equitatem negligere et iusticię diutius obniti, petitioni fidelium nostrorum et consiliis acquieuimus. Proinde auctoritate huius precepti nostri statuentes statuimus, ut eaedem decimę ad dominium episcopi eiusque dispositionem, uti KAROLVS instituit, reuertantur. Neque sit aduocatus aliquis aut alia maior uel minor persona, qui episcopos eiusdem ciuitatis hac in re amplius inquietare audeat, sed episcopi easdem decimas quieto ordine et pace perpetua teneant, possideant, disponant, ea spe et in diuinę pietatis confidentia, ut hec decimarum iusta restitutio animabus parentum nostrorum, id est aui, auię, matrisque nostrę imperatricis A. et cari patris nostri H. imperatoris augusti, fiat peccatorum remissio et negligencię quam ipse in hac causa commisit apud Deum fiat obliuio, et ut in singulis diebus et in anniversario eorum qui in bello contra Saxones corruerunt ibidem memoria fiat et specialis oratio anime Sigfridi in eodem bello occisi ordinetur et fiat, ita ut sibi cottidie specialis missa et omni III<sup>a</sup>. feria communiter a fratribus in choro una missa pro omnibus interfectis nostris et omnibus fidelibus decantetur, et ad cursus horarum Ps. I<sup>o</sup>. Prebenda quoque detur ei clero, qui hec que Sigfrido debent diligenter obseruet. Conuenimus etiam cum episcopo collaudatione clericorum suorum pro salute corporis et anime nostrę omni ebdomada XXX. misę pro uiuis et defunctis ibidem decantentur. Post obitum autem nostrum specialiter pro anime nostrę et parentum nostrorum remedio misę et totidem psalteria ibidem decantentur nunc et in omne tempus futurum. Talia enim optantes credimus apud misericordem Deum et nostram deleri negligentiam et antecessorum delicta redimi, qui hac in causa negligenter et maliciose egerunt. Et ut huius precepti nostri auctoritas omni eo maneat stabilis et inconuulsa, kartam hanc scribi precepimus et manu nostra ut est consuetudo regum et imperatorum corroborauimus et sigillo nostro signari iussimus.

*Signum domini Heinrici regis quarti inuictissimi. (L. M.)  
Gebehardus cancellarius uice Sigefridi archiepiscopi recognouit.*

Data VI. Kal. Febr. Indict. II. Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>LXX<sup>o</sup>VIII<sup>o</sup>. Anno autem regni domini Heinrici regis quarti XX<sup>o</sup>III<sup>o</sup>. Actum Moguncie feliciter AMEN.

### CLIX.

E MSS. Henseleri.

In nomine sanctę et indiuiduę Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. Si querimonias sacerdotum, quas nobis de necessitatibus ecclesiarum sibi commissarum obtulerunt, adtenterimus, et

iusticiam misericorditer illis impendendo ad finem perduxerimus, presentis scilicet et eterne felicitatis premia exinde mercari liquido confidimus. Idcirco notum esse uolumus omnibus sancte Dei ecclesie nostrisque fidelibus presentibus scilicet et futuris, qualiter fidelis noster OSNENBRVGGENSIS episcopus secundus BENNO in nostro seruicio longo tempore deuotissimus, serenitatis nostre clementiam adiit, apostoli preceptum sequens, arguendo, increpando, obsecrando et iuuentutem nostram incusando, querimoniam faciens, se suosque antecessores nostrorum antecessorum scilicet aui nostri KVNRADI et cari patris nostri bone memorie HEINRICI imperatorum forsitan in hac causa ignoranter delinquentium temporibus multas iniurias et uarias oppressiones de potentibus illius regionis, maxime autem a Corbeiense abate et Herifurdense abbatissa illorumque fautoribus, in decimarum direptione ad suam ecclesiam debite pertinentium iam diu miserabiliter sustinuisse. Cuius proclamationi quamvis sepius iteratè diutius quam felicius assentire renuentes, etatis teneritate ac quorundam consiliariorum nostrorum tunc temporis iuuentuti nostre prouidentium dissuasione ad hec determinanda uariis occasionibus prefixis nos excusauimus. Sed tandem crebris et infinitis etiam pro Christianitatis miserabili defectu querimoniis et multorum clericorum et laicorum ius suum agnoscentium rogatu et consilio deuicti, WORMACIAM eidem episcopo suisque aduersarii, ubi principibus nostris pro ceteris regni negotiis conuenire statutum est, ut et ipsi uenirent precepimus. Ibi uero X. episcopis X. abbatibus ceterisque quam plurimis clericis ac laicis presentibus utriusque partis scripta episcopus et sui aduersarii in medium proferebant. Episcopi uero scriptis lectis et intellectis Osnebruggensem ecclesiam Adriani pape consilio et consensu a magno et illustri uiro KAROLO primitus in prouincia WESTFALA fundatam et a uenerabili Egilfrido Leodicensi episcopo consecratam, et quia sibi tunc temporis predia uel alia in illa regione non erant donaria, unde episcopus uel clerici ibi Deo militantes sustentarentur, decimis cunctorum infra terminos eiusdem episcopatus degentium et nouiter ad Christianitatem conuersorum consecrationis eius die dotatam, et postea IIII. apostolicorum uirorum priuilegiis, scilicet Leonis, Paschalis, Eugenii et Gregorii, stabilitam esse, et omnem hominem eisdem priuilegiis ante nos relectis, qui hec sancta aliquo modo irritauerit, anathematizatum constare, absque ulla ambiguitate didicimus. Ex abbatis autem scripto quod attulit regali auctoritate confirmato iuniorem Ludeuuicum quandam cellam Corbeiensi ecclesie nomine MEPIAM, Herifurdensi autem ecclesiam nomine BVNEDE cum decimis sibi pertinentibus in episcopatu OSNEBR. concessisse intelleximus. Ad hec infringenda et adnihilanda eiusdem iunioris Ludeuuici cartam ipsius propria manu roboratam et sigillo eius assignatam episcopus in palam proferebat, in qua idem Ludeuuicus aui patrisque sui statuta super eisdem decimis prefate Osnabrugensi ecclesie stabiliuit et in earundem decimarum traditionibus quicquam derogasse, ut abbatis scripta referunt, denegavit. Abbe autem et abbatissa propter hoc solum quod ibi uidebatur fictium aliquid quo inniti possent non habentibus, episcopus plurimorum antecessorum nostrorum regum et imperatorum, scilicet ARNOLFI filiique eius LVDEVVICI, HEINRICI primi, trium OTTONVM cartas ipsorum manibus roboratas et sigillis assignatas, ecclesie sue easdem decimas stabilitentes presentauit legendas. Ibi uero utrumque sententiis auditis et subtiliter dijudicatis, archiepiscopi, episcopi cum omni clero, duces et comites, etiam ipsis prius fauentes, petcionibus episcopi oonsentire debere iusticia exigente unanimi concordia omnes affirmabant. Promisit etiam nobis prefatus episcopus, decano ceterisque eiusdem ecclesie clericis adstipulantibus, dum locus maneret integer et indestructus, pro uita nostra statuque regni dum uiueremus, post obitum autem pro nostri et cari patris nostri HEINRICI imperatoris augusti, matrisque nostre AGNETIS imperatricis, aui, auieque animarum, remedio XXX. missas totidemque psalteria per singulas ebdomadas ibidem deuote decantari, et ad omnes cursus horarum psalmum unum. Insuper statutum est, ut in eum omni tercia feria communiter a fratribus in choro pro anima Sigefridi cari seruientis nostri ceterorumque qui pro nostro honore defendendo in publico bello corruerunt, specialis missa decantetur. Qua propter Domini nostri Jesu Christi et beati Petri principis apostolorum et preciosissimorum martyrum Crispini et Crispiniani, nec nou pro ueneratione KAROLI imperatoris augusti magni et pacifici et eiusdem ecclesie fundatoris deuotissimi et ceterorum antecessorum nostrorum eandem ecclesiam suis scriptis et preceptis

roborantium, nec non aui patrisque nostri atque nostra ceterorumque uidelicet regum qui in eandem ecclesiam iusticiam sibi denegando peccauerunt animarum remedio et liberatione, et eiusdem episcopi sedula et diurna proclamatione, nostrę immunitatis et libertatis preceptum super eisdem decimis episcopo suę ecclesię stabiendi fieri decreuimus. Precipientes ergo iubemus ut sicut reliquę in regno nostro sanctę Dei ecclesię ab antecessorum nostrorum regum et imperatorum preceptis et scriptis stabilitę consistunt, ita et hęc OSNEBR. ecclesia per hoc nostrum preceptum Domino opitulante stabilita consistat. Concedimus etiam eidem episcopo et licentiam damus imo precipimus, secundum Karoli institutionem decimas cunctorum infra sui episcopatus terminos habitantium, quibus iam diu iniuste caruit, in suam episcopalem potestatem recipere nemine contradicente. Sed liceat prefato episcopo easdem decimas ceterasque res suę ecclesię quas modo possidet uel deinceps acquisierit quieto ordine possidere, suasque ecclesias sicuti ceterorum ius est episcoporum corrigere et earum causas absque ulla contradictione disponere. Sicque firmiter stabilitum est, ut cuncti eius successores hęc eadem a nobis sancta pari modo sortiantur. Et ut hęc auctoritas nostra firmorem in Dei nomine habeat stabilitatem, manu nostra propria ut subtus uidetur hanc cartam roborantes sigillo nostro iussimus assignari.

*Signum domni regis Heinrici quarti inuictissimi. (L. M.)*

*Geberhardus cancellarius uice Sigefridi archicancellarii recognoui.*

Data III. Kal. April. Indict. II. Anno dominice incarnat. M<sup>o</sup> LXX<sup>o</sup> VIII<sup>o</sup>. Anno autem regni domni regis Heinrici quarti XXIII<sup>o</sup>. Actum Ratisponę in Dei nomine feliciter AMEN.

(Nach Strunck Mspt. p. 329. war das Original dieser Urkunde mit Goldschrift geschrieben und hatte eine goldene Bulle, auf deren einer Seite sich das Bild des Königs befand, mit der Umschrift: Heinricus Rex; auf der andern Seite die Stadt Rom, mit der Umschrift: Roma caput mundi régit orbis frena rotundi.)

## CLX.

Duo fratres Hezel et Einelen de Westheim tradiderunt quandam ancillam suam Thietburgam sorori sue Ibikin uxori cuiusdam Rödegeri de villa Durpethe, quam matertera ipsius Thietburge, Ebbescin uxor Hameconis pistoris de Horehuson, XIII. solidis a domina sua et uiro ipsius redemit et Sancto PETRO in Eresberg ad persoluendum annum censem IIor. nummorum tradidit. Quod actum est sub Marquardo abbe et Hiddicō comite, cuius rei testes sunt hi. Hiddico comes. Sinicho presbiter qui traditionem ipsam banno firmauit. Volcsuit uxor Hezelini, et fratres eius. Immo et Bernhardus. Eluerus caluus. Re-there. Rathebodo. Thidericus. Wlfnot. Eluerus albus. Heio. aliquie quam plures.

Et ut hęc traditio firma et inconuulsa permaneat, sigillo Sancti VITI signata est et corroborata.

Das Siegel ist verloren gegangen und die Charte beschädigt; das wenige am Schlusse ganz Ausgerissene aber aus dem ältesten Corvey'schen Kopialbuche ergänzt.

## CLXI.

*Aus dem ältesten Kopialbuche des Stifts Corvey.*

In nomine sanctę et indiuidue Trinitatis. Herimannus diuina fauente clementia rex. Nouerint omnes sanctę Dei ecclesię atque fideles regni tam futuri quam presentes, Quod uenerabilis abbas Corbeyensis Marchwardus exorauit clementiam nostram, ut cyrographa predecessorum nostrorum duobus cenobiis sibi commissis iam olim collata nostra quoque auctoritate firmaremus, nostreque illis confirmationis cartulam adiungeremus. Cuius rationabili et iuste petitioni coram episcopis ceterisque principibus nostris assentes, sicut in apostolicis et imperialibus assignatis scriptis concessum eis et confirmatum est, decernimus atque iubemus, ut utrumque cenobium, Corbeyense uidelicet monachorum atque Herefordense sanctimo-

nialium, cum omnibus ad ea pertinentibus sub apostolica et imperiali tuitione nostra plenissimę libertatis iure fruatur. Volumus enim, ipso donante quo fauente regni gubernacula suscepimus, omnium ecclesiarum iura infra regna nostra firmiter stabilire, concessiones antecessorum nostrorum singulis ecclesiis suas confirmare, omnibusque Deo famulantibus, maxime monachis, ad diuinum cultum debita solatia clementer impendi. Habeant igitur prefata monasteria eandem quam' actenus et deinceps libertatem, ut nullus successorum nostrorum ipsa uel res eorum aut in beneficia dare aut alio iuerte presumat, sed liceat prelatis res suas intus uel foris cum consilio fratrum sororumue regulariter et canonice disponere et sine cuiuslibet contrarietate uel contradictione liberaliter possidere, decimas uel decimales ecclesias immo universas possessiones suas in quibuslibet episcopiis, precipue in Bremensi, Osnaburgensi et Paderburnensi, ubi plurimos habent, et res aut decimas ita integerrime teneant atque possideant, sicut ab antecessoribus nostris, regibus uidelicet uel imperatoribus hactenus habuerunt atque possiderunt. Aliter enim in Dei seruicio persistere non poterunt, cum prebenda eorum ex maiori parte de decimis constituta sit. Episcopis uero, quibus seruicium et mansionatica debent tempore circuitus sui, secundum scripta sua singulis annis persoluant. Proinde utrique congregationi regularis electionis potestatem concedimus, et qui ordinati fuerunt, si forte, quod absit, in aliquo deliquerunt, non preter canonicam et regularem deponantur examinationem. Et ut hec auctoritas concessionis atque confirmationis nostre firmior habeatur et per futura tempora a cunctis fidelibus sancte Dei ecclesie nostrisque presentibus et futuris melius credatur diligentius que seruetur, manu propria subter eam firmauimus, sigilli nostri impressione assignari iussimus.

*Signum domini Herimanni (L. M.) regis inuictissimi.*

*Brun cancellarius uice Sigefridi archicancellarii recognoui.*

Data III. Non. Aug. anno dominice incarnationis M<sup>o</sup> LXXX<sup>o</sup> II<sup>o</sup>. domni Herimanni regis I. Indictione V.  
Actum coram multis principibus in palacio regio Goslare in Dei nomine feliciter Amen.

## CLXII.

Notum sit omnibus uere Deum diligentibus ac fidem in proximos conseruantibus, quod quidam libere natus Hunika nomine, filius Hassis de Binnetuelde, propriam ancillam suam Haburgam sibi sociauit coniugio, quam emerat X. solidis a Habone et filio eius Ebbi de Ingheradinghusan. Quam postea interueniente necessitate, si preoccupatus morte teneretur, ne heredes sui inter se certando eam addicerent servituti, consilio aliquorum sibi consanguinitate adherentium accepto, ne eam sine consolatore relinquaret, tributariam dedit ad duos denarios per singulos annos persoluendos super altare Sanctorum apostolorum Petri et Andree, quod consecratum habetur a uenerabili Immado episcopo in ecclesia quę dicitur Hierusalem, ad orientem posita ciuitatis Patherbronnense, quamdui uiueret, Si filium procrearet aut filiam, cum quo in partu eadem hora adgrauata apparebat, post mortem matris si quis prior esset etatis, eundem persolveret tributum, et filii eorum a generatione usque in generationem postmodum seruarent. Traditione uero ista eo tempore facta est, quo princeps Herimannus Westfalos cum exercitu adiit, anno quoque Popponis episcopi VI<sup>o</sup>. teste ipsa congregatione ac familia ad eam pertinentem. Traditionem hanc si quis causa pecunię uel malo consilio irrumpere nititur, simul cum Juda traditore pereat, anathema sit a Jesu XPYCto domino nostro, et omnia quę possidet. Ab apostolis vero eius P. et A. T. B. ac martiribus sanctis quorum reliquię in hoc altari continentur, in die iudicii ab his qui promissam dexteram Dei tenent separantur. His adscentur quibus dicetur, Ite maledicti in ignem eternum qui paratus est diabolo et angelis eius, ibi sine intermissione semper manentes. Omnis ergo quicunque legerit hoc manuscriptum, uel legentem audierit, respondeat dicens, AMEN. Qui autem in testimonio ex progenie eorum erant, recitanda sunt nomina. Aelueric frater Hassis et filii eius. Vaderikin. Hassi. Alueric. Hugh.

Von einem Siegel zeigt sich keine Spur.

## CLXIII.

Aus einer alten Abschrift am Ende eines; ehemals dem Kloster Abdinghof zu Paderborn gehörigen, und demselben durch den heil. Vicelinus geschenkten, zu Ende des 11. oder im Anfange des 12. Jahrhunderts geschriebenen Codex, dessen Hauptinhalt die Geschichten der Heiligen Willehadus, Ansgarius und Rimburtus bilden.

Siguinus sancte Coloniensis ecclesie solo nomine episcopus, FRitherico confratri et coepiscopo, uoluntariam tam deuotissimi oraminis quam seruiminis sui exhibitionem. Cum nostris temporibus ultra modum tribulationibus uariisque angustiis sancta ecclesia in suis membris affligeretur, adeo ut tranquillitas et pax ex integro desperaretur, compatiendo tot pressuris totque periculis subuenire illi Deo propitiante tractauimus, et hoc tandem illi remedium consilio nostrorum fidelium prouidimus, ut pacem quam peccatis nostris exigentibus continuare non potuimus, intermissis saltem diebus, quantum nostri iuris fuit, aliquatenus recuperaremus. Fecimus enim hoc et perfecimus. Conuocatis igitur parochianis nostris ad legitime conductum concilium, quod Colonię in sancti Petri matrice ecclesia, anno dominice incarnationis millesimo LXXXIII. inductione VI. XII. Kal. Maii habitum est, ordinatis aliis, quod de his facere disposuimus, in publico recitari fecimus. Quod postquam ab omnibus aliquamdiu diuerso modo tractatum est et retractatum, Deo mediante in unum tandem conuentum est, et tam clero quam populo pari uoto consentientibus, quo modo et quibus per annum spaciis obseruari debeat edocuimus, uidelicet ut a primo die aduentus Domini usque ad exactum Epyphanię, et ab intrante septuagesima usque in octauas Pentecostes, et per totam illam diem, et per annum omni die dominica, feriaque VI. et in Sabbato, addita IIII. temporum feria, omniumque apostolorum uigilia cum die subsecuta, insuper indifferenter omni die canonice ad ieunandum uel feriandum statuta uel statuenda, hoc pacis decretum teneatur, ut itinerantibus domique manentibus securitatis et quietis tutissima sit traditio, ut cedes et incendia, predas et assultus nemo faciat, nemo fuste et gladio aut aliquo armorum genere quemquam ledat, et ut nemo, quavis culpa faicosus, ab aduentu domini usque in octauas epiphanię et a septuagesima usque in octauas pentecostes tollere presumat arma, scutum, gladium aut lanceam, uel cuiuscunque prorsus armature sarcinam. In reliquis uero diebus, id est in dominicis et sextis feriis, omnique apostolorum uigilia cum die subsecuta, et omni die ad ieunandum uel feriandum statuta uel statuenda, arma illis ferre licebit, ea tamen conditione, ut nulli quolibet modo lesionem inferant. Si necesse fuerit alicui intra spacium conditę pacis, id est ab aduentu Domini usque ad octauas epiphanię, et a septuagesima usque in octauas pentecostes exire de nostro episcopatu in alium, quo ista pax non tenetur, arma ferat, ita tamen, ne alicui noceat, nisi impugnetur, ut se defendat. Reuersus autem in episcopatum nostrum, statim arma deponat. Si contigerit, ut debeat obsideri castellum aliquod per dies qui infra pacem comprehensi sunt, ab impugnatione cesserent, nisi ab obcessis impugnentur et repugnare cogantur. Et ne hęc pacis statuta traditio a quavis persona temere et impune uioletur, huiusmodi uiolatoribus in commune ab omnibus est dictata sententia. Si liber uel nobilis eam uiolauerit, uel quolibet alio modo defectauerit, absque omni sumptuum aut amicorum interuentione a finibus confinium suorum expellatur, totumque preedium eius heredes sui tollant, et si beneficium habuit, dominus ad quem pertinet illud recipiat. Si uero heredes aliquod illi, postquam expulsus fuerit, sustentaculum uel solatium impendisse inuenti fuerint et conuicti, preedium illis auferatur et regię ditioni mancipetur. Quod si se purgare de obiectis uioluerint, cum XII. qui eque nobiles uel eque liberi fuerint, iurent. Si seruum occiderit hominem, decolleter. Si uulnerauerit, manu puniatur. Si alio modo, uel pugno, siue fuste uel lapide percutiendo defectauerit, detondeatur et excorietur. Si autem, cui imputabitur, se innocentem probare uoluerit, iudicio aquę frigidę se expurget, ita tamen ut ipse et nullus alius pro eo in aquam mittatur. Si autem timens uindictam, quę in eum dictata est, aufugerit, perpetuę excommunicationi subiacebit, et in quoconque loco auditus fuerit, mittantur illuc litterę, per quas denuncietur omnibus, quod excommunicatus est, et quod cum eo communicare nulli licitum est. Non debet truncatio manuum in pueris fieri qui nondum XII. annorum etatem impleuerunt, sed in illis qui ab etate id est a

XII. annis ad maiorem peruererunt. Pueri tamen si pugnauerunt, uerberibus castigentur et a pugnando deterreantur. Non ledit pacem, si quis delinquentem seruum suum uel discipulum uel quolibet modo sibi subditum scopis uel fustibus cedi iusserit. Excipitur etiam ab hac pacis constitutione, si dominus rex publice expeditionem fieri iusserit, propter appetendos regni inimicos, uel concilium sibi habere placuerit propter diuidicandos iusticię aduersarios. Non uiolatur pax, si interim dux uel alii comites, uel aduocati, uel qui uice illorum funguntur, placita habuerint, et secundum quod lex habet in fures et predones et alias nocentes iudicia exercuerint. Securitatis gratia omnibus precipue faicosis huius dominice pacis statuta traditio est, sed non ut post expletam pacem rapere et predari per villas et per domos audeant, quia quę in illos antequam ista pax statueretur lex et sententia dictata est, legitime tenebitur, ut ab iniuitate prohibeantur, quia predatores et grassatores ab hac diuina et ab omni prorsus pace excipiuntur. Si quis huic pię institutioni contra ire nititur, ut nec pacem cum aliis Deo permettere, nec etiam obseruare uoluerit, missam illi nullus presbiterorum in nostro episcopatu cantare presumat et nullam salutis curam impendat, et si infirmatur, nullus eum Christianorum uisitare audeat, et uiatico etiam in fine, si non resipicit, careat. Summa uero Deo promissę pacis et communiter collaudatę ista erit, ut solummodo non nostris temporibus, sed in perpetuum apud posteros nostros obseruetur, quia si quis eam irritare uel destruere aut uiolare presumpserit, siue hoc tempore seu qui post multos annos circa finem seculi nasciturus erit, a nobis inrecuperabiliter excommunicatus est. Non magis in comitum aut tribunorum uel potentum, quam in totius communiter populi potestate et arbitrio constabit, ut uindictas superius dictatas uiolatoribus sanctę pacis inferant, et hoc diligentissime caueant, ne in puniendis amiciciam uel odium uel aliud quod iusticię contrarium sit exerceant, ne si abscondi possunt delicta aliquorum abscondant, sed potius in publicum deferant. Nullus pro redimendis qui in culpa deprehensi fuerint pecuniam accipiat, nec fauore quoquam culpabiles adiuuare contendat, quia qui fecerit, intolerabile anime sue iudicium incurrit, ac per omnes fideles meminisse oportet, non homini sed soli Deo hanc pacem promissam fuisse, et tanto tenacius firmiusque obseruandam esse. Quo circa uniuersos obsecramus in Christo, ut ista pacis necessaria taxatio inuiolabiliter custodiatur, ut si quis eam deinceps uiolare presumpserit, omnino a sanctę ecclesię filiis sequestretur, et banno excommunicationis inrecuperabilis et anathemate mansuę perditionis dampnetur. In ecclesiis uero et ecclesiarum cimiteriis honor et reuerentia Deo prebeat, ut si illuc conseruerit raptor uel fur, minime interficiatur uel capiatur, sed tamdiu inibi obsideatur, donec fame urguente ad deditonem cogatur. Si aliqua persona reo arma, uictum uel fugam moliri presumpserit, equalem penam sicut reus sustinebit. Clericos uero et omnes sub hoc ordine uitam degentes banno nostro interdicimus laicali uindicta puniri, sed manifesto criminе deprehensi, episcopo ipsorum presententur. Unde laici decollentur; inde clerici degradentur, unde laici detruncentur, inde clerici ab officiis suspendantur, et cum consensu laicorum crebris ieuniis et uerberibus usque ad satisfactionem affligantur.

JVRAMENTVM PACIS DEI. Ab aduentu Domini usque ad proximam diem lunę post epyphaniam, item a LXX<sup>ma</sup> usque ad octauam pentecostes, item in omnibus vigiliis et ferialibus festis, et tribus diebus in omni septimana, scilicet a uespera V. ferię usque ad diluculum II. ferię pax sit ubique, ita ut nemo ledat inimicum suum. Qui occiderit, capitalem subeat sententiam. Qui uulnerauerit, manum perdat. Qui pugno percusserit, si nobilis est, libram componat. Si liber aut ministerialis, X. solidis, si seruus, cute et capillis. Omnis domus, omnis area pacem infra septa sua habeat firmam. Nullus inuadat, nullus effringat, nullus infra positos temere inquirere aut uiolenter opprimere presumat. Qui presumpserit, cuiuscunque sit conditionis, capite plectatur. Si fugiens aliquis inimicum, uel suum uel cuiuslibet septum intrauerit, securus inibi sit. Quilibet hastam uel quidlibet armorum ultra sepem post eum immiserit, manum perdat. Cuicunque uero uiolatio huius pacis imposta fuerit et ipse negauerit, si ingenuus est aut liber, XII. probatis se expurget. Si seruus, tam lito quam ministerialis, iudicio aquę frigidę, ita scilicet ut ipsem in aquam mittatur. Si furtum acciderit aut rapina, aut bellum patrię ingruerit, et clamor more patrię exortus

fuerit, armati omnes insequantur, et in eundo et redeundo pacem unusquisque habeat. Qui uero absque ineuitabili necessitate se subtraxerit, si principum terrę aliquis est, X. libras, si nobilis V., si liber aut ministerialis II., si lito aut seruus V. solidos persoluat, aut cutem et capillos perdat. Qui excommunicatum uel quibuslibet sceleribus dampnatum sciens receperit, et contra leges uel diuinās uel humanas defenderit, sententiam dampnati defensor subeat. Viatori hospitium nemo deneget. Necessaria si habet equo sibi precio uendat, si non habet, a uicinis qui habent eadem conuentione acquirat. Si hospitium negauerit, et necessaria uendere uel acquirere neglexerit, magistrum uille viator appellat, qui conuocatis ciuibus suis rogata negantem ad presens decapillatum excoriet. Viator si importunus extiterit et violentiam in hospitio exercuerit, uicinos suos hospes conuocet, iniuriam denunciet, quorum consilio satisfactionem exigat et recipiat. Quibus si viator non acquieuerit, ut raptor dampnetur. Viator si necessē habuerit, IIos. in agro manipulos, aut si multum tres equis suis tollat, quos in eodem agro aut in proxima villa depascat. Pascua pratorum et poma nullus prohibeat. Qui defenderit, poenam fugitiui subeat. Qui conuicia in alium dixerit, si miles, baculis multetur, si rusticus, scopolis excorietur. Hic FINIS JVRAMENTI. Quę uero sequuntur, ore omnium laudata et in manus episcoporum promissa et banno roborata sunt. In omni pacis tempore predicto nullus arma ferat, nisi illa quam prescrispimus necessitas exigat.

#### CLXIV.

Ad omnium qui in presenti subsistunt uel in futuro successerint fidelium noticiam peruenire desideramus, qualiter ego Erpho septimus decimus sanctę Mimigardeuordensis ecclesię diuina miserante clementia Episcopus, fidelium in quantum potui petitionibus assensum prebendo, oppressis subuenire, afflictis parcere, confractos soluere, animum induxi, cum solum placeant omnipotenti, qui misericordię sunt dediti, nec inuident alienę felicitati. Igitur Domina Adalheiht Fricconhorstensis Dei gratia Abbatissa, pietatis amore et salute utriusque uite, ministris qui ad eandem abbatiam pertinebant, ius aliquanto melius et clementius quam prius haberent constituere dispositum habens, assumptis secum suę prouisionis filiabus, eiusdem scilicet Fricconhorstensis coenobii sororibus, domina preposita IDA, decana EILA, custode Gerburga, aliisque quarum nomina inscripta sunt, Thiedhilda, Suanhilda, Gerthrude, adiit Serenitatem nostram cum fidelibus nostris, summa deuotione et humilitate supplicans et deprecans, ut pro diuini timoris et amoris ueneratione, suique fidelis seruicii, ac oratione et deuotione totius illius congregationis, cum qua prius de omnibus negotiis egerat, quę et illi in omnibus consenserat, et quę uoluit uoluerat, optauerat, petiuerat, ut ministris supra memoratis, quia non melius fere ius quam liti et qui cotidie ad curtes seruunt habuerant, unde et plurimum grauabantur, quale habent qui ad episcopatum pertinent, quale et dominus meus Frithericus pro sua clementia ministris qui ad preposituram pertinent, me rogante et impetrante, consentiente fratum Mimigardeuordensium unanimitate, ius dederat, concoederetur, et per omnia illis similes in lege, iure, iusticia facerem. Quod ego, habito cum fidelibus meis, tam de clero quam de militibus et ecclesię ministris consilio, cum placaret omnibus, omnesque, quia bonum illis uideretur, acclamarent, uellet, peterent, facere non rennui, et ad presens cum plurimi tam de clero quam de militibus et ministris ecclesię adessent, tale ius, legem, iusticiam, qualem episcopales et qui ad preposituram pertinent ministri habere uidentur, concessi, dedi, concoedendo dandoque subscripsi, confirmaui, et per omnia illis similes, uolente rogante domina eorum uidelicet abbatissa Fricconhorstensi A., consentiente etiam ac deprecante unanimiter tota illa congregatione, feci et testamentum scribendo contradidi, et ne quis in posterum temeraria persona irritare rata hęc et certa abolere ullo pacto presumat, bannum episcopalem superimposui, quo cuncta illis firma redderem, confirmarem, corroborarem. Est ius constitutum, quid a uiuentibus, quid a defunctis exigatur, quid oportet ab omnibus teneri, ac propterea necesse est doceri et ab omnibus diligentissime obseruari.

Huius constitutionis, traditionis, immo et laudationis testes inscribuntur, ut omnia certiora reddantur. De Clero intererant. Ruodolfus decanus. Godascalcus uicedominus. Herimannus custos. Suehtgerus. Adulfus. Liudbertus. Gerbertus. Rato. During. Franco. Herimannus. Uuerinherus. Uuacilinus. Gisilbertus. et multi alii clerici.

De militibus uero aderant. Lambertus comes. Conradus longus. Liuppoldus. Godefridus comes. Bernhardus. Gerhardus de Laon. Godascalcus filius eius. Ruocgerus. Eilbertus. Hatheuericus. Ruobertus. Folcbertus. Thiedmar. Adalbertus. Wicbern. Meinhard. et alii multi.

De ministris ecclesiæ hi fuerunt. Wecil. Suehtger. Liudbraht. Liuppo. Ricbraht. Eilbraht. Ruocger. Meinhard. Arnold. Adalbraht. Hugbold. Liudger. Atcilin. Walcono. Engilbraht. Werinbraht. Altman. Heriman. Ado. Odo. Harbraht. Hiddo. Thiedric. Heteil. Burchard. Liuzo. Berhtold. Gerbraht. Suehtger. Ricbraht. Wetcil. Watcilin. Atcikin. Godefrid. Gerhard. et alii quam plurimi.

Actum Mimigardeford in camera episcopi. Anno dominice incarnationis millesimo octogesimo VI<sup>o</sup>. Indictione VIII<sup>a</sup>. III. Kal. Januarii. Anno uero ordinationis domni Erphonis episcopi primo. Feliciter. Amen.

Von dem, der Urkunde aufgedruckt gewesenen Siegel ist nur ein Bruchstück übrig.

### CLXV.

In nomine sanctæ et indiuidue Trinitatis. ERPHO diuina miserante clementia Mimigardefordensis etsi solo nomine episcopus. Si quid sanctæ Dei ecclesiæ ministrantibus utilitatis pio affectu impendere curamus, retribui nobis apud Dei misericordiam speramus, maxime cum iuxta preceptum apostoli, operamur bonum apud domesticos fidei. Quo circa notum fieri cunctis Dei fidelibus cupimus, qualiter cum fidelium nostrorum consilio præbendam FRICCONHORSTENSIS cenobii, quæ aut uix, aut male dabatur, aut eciam importune subtrahebatur, nec post subtractionem restituebatur, ita ut VI. ebdomadibus inter IVLIVM et AVGVSTVM mensem nec potus eis, nec panis daretur, in ceteris autem temporibus confusæ et indispositæ et contra aliarum consuetudines ecclesiarum inutiliter quæ iuste danda erant et incaute ministrabantur, ratis temporibus cautius et plenius dari constituimus, quia si in afflictione positis non subueniremus, iram diuinę ultionis procul dubio incurreremus. Panes qui dabantur, quamvis modius bonus esset, parui tamen et uiles erant, quod in melius commutauimus, constituentes ut de modio siguli, de quo ante duodecim fiebant, decem panes bene boni fierent, et de modio tritici, ut prius abbatissa scilicet ADALHEIT disposuerat, quatuordecim panes parari iussimus, excepto quod de ipsis panibus tres qui singulis dominicis diebus supersunt, in suos usus dispensans accipiet, ea uidelicet ratione, ut semper in quadragesima VIII<sup>m</sup> tritici pro eis reddat, unde omnibus in commune a quinta FERIA post caput ieunii, TERCIA. ET SEXTA. ET SABBATO, usque in tertiam feriam ante pascha, panis nouus in modum lunæ formatus detur, et in iisdem supradictis FERIIS duo becarii de meliori ceruisia singulis propinentur, in diebus uero dominicis per singulas duo becarii et panis de silagine, qui vulgariter roggæ subtilis dicitur, continue detur, et quia carnes prebendarie, siue de porcis, siue de ouibus, siue de uaccis essent, adeo uiles propter macredinem et paruitatem erant, ut aliquotiens ferculum non longius quam est minimus digitus alicuius adulti hominis esset, decreuimus oves et porcos meliorari, et porcum qui prius in triginta nouem fercula diuidebatur, per uiginti quattuor secari, et singulis duo fercula, siue porcina, siue ouina uel bouina fuerit caro, bene et iuste secundum illas carnes quæ Monasteriis fratribus in maiori monasterio dantur, et inter duas unam assuratram dari. Coniuia dabantur prout placuit, non ut decuit, quia pars aliqua dabatur, plurima subtrahebatur, quia nihil certi, nihil temperati exhibebatur. Vnde inito in commune consilio tempora constituimus, uidelicet in Aduentu, in NATIVITATE DOMINI, JOANNIS EVANGELISTÆ, In OCTAVA, In EPIPHANIA DOMINI, in anniuersario abbatisse THIEDHILDIS, in purificatione SANCTÆ MARIE, In PASCHA, in inuentione SANCTÆ CRVCIS, In ASCENSIONE DOMINI, In PENTEOSTE, BONIFATII, JOANNIS BAPT.,

Cod. dipl. hist. Westfal.

apostolorum PETRI et PAVLI, assumptionis et nativitatis SANCTE MARiae, MICHAELIS, EONII et ANTONII, COSME et DAMIANI, MAXIMI, OMNIVM SANCTORVM, MARTINI, ANDREE, cum plenum datnr seruicium septem fercula, cum pleniter non datur quinque dari, ad cenam uero genus cibi quod uulgo struua dicitur, et assatram binis et binis. A Pascha usque Pentecosten, SECVNDA et quarta FERIA, de porcis glandibus siue frumento pastis lardum, nisi festiuitas interuenerit, iuxta prius constitutum, donari constituimus. Pisces non dabantur in quadragesima, preter unum Salmonem, qui in cena Domini dabatur, ceterum legumina et fabe uiliter et incongrue cocte donabantur, nec erat illis aliquod solatum, unde possent, cum Deo seruirent, habere sustentaculum. Qua propter diuini timoris pariter et amoris non inmemores, cum fidelioribus nostris accepto cōsilio, trincta solidos in quadragesima disposuimus, uidelicet decem de manis quos dederat dominus FRITHERICVS EPS<sup>z</sup>, decem de decimis quas ego peccator ERPHO, etsi indignus successor eius, in DEDICATIONE EIVSDEM ECCLESIE tradidi, quinque de GASGARE, duo de VELON, tres de VVAMALO, ut a capite ieunii usque in PASCHA quattuor allecia singulis, ut pro loco sanctisque Dei ecclesiis attentius exorent, quanto meliora emi potuerint, donentur, et ut huiusmodi emptio alicui fideli laico uel clericu committatur. Vinum dabatur eis, sed indiscrete et minus quam indigerent, unde consulto opus esse uidimus, et quia idem uinum de cellario abbatissē dabatur, uisum est nobis et fidelibus nostris, ut abbatissē per se, sanctimoniales suum proprium separatim haberent uinum, ac propterea ad comparationem uini sororum ibidem Deo famulantur, quod sui iuris sit, in suum cellarium deferatur, libram unam VVARTANHORST, unam marcham de adipibus porcorum et de bouinis coriis, unam marcham de pellibus ouinis, quattuor solidos de BALOHORNON, computauimus, ut non grauetur abbatissa, et earum ccesset querimonia. In diebus dominicis et in omnibus festiuitatibus becarium uini quelibet, et in coniuiciis, si in dominica euenerint, duos accipient. A festiuitate omnium Sanctorum usque in Pascha uetus ceruisia dabitur et medo defecatus propinabitur. Antiquitus uilissima ceruisia nulli fere nisi indigentissimo potabilis dabatur, quod a supradicta abbatissa uidelicet ADALHEIT, sicut de triticeo pane bene et honeste et utiliter commutabatur, ut omni die quinque becarii bonę ceruisię, abnegato pristine constitutionis incommodo, unicuique siue domi fuerit uel exierit, tribuantur. Hanc constitutionem eius utpote bonam laudamus, adiuuamus, et eidem sanctę congregationi permanere et non deficere, banno nostro confirmamus. Benedicta sit quę in melius auxit uel auxerit, maledicta quę in peius mutauerit, contriuuerit, diminuerit. Oblationes pro fidelium memoria collatas iuxta pristinum seruari, dari, impendi eciam placuit. Pecunia ad comparandum uestitum parua erat, nec ad dimidium alicui earum sufficiebat, unde inquisitione facta, de curti Uuartanhurst XIII. libras persoluendas iure inuenimus, et de ipsis Sanctimonialibus ad uestitum cuiilibet, siue in denariis, siue in pannis, siue in frumento X. solidos dari constituto die, uidelicet in festo apostolorum Symonis et Iudei, disposuimus, preter libram quę Abbatissē et quę ad comparandum uinum dabitur. Consuetudo ibi erat aliis sanctis Dei ecclesiis contraria, ut quotquot Sanctomialium defunctorum prebende uacue fierent, quo adusque a succedentibus aliis recuperarentur, sub iure essent abbatissē, in quos uellet eas usus conuertere. Vnde minui uidentes illarum quę superstites fuerint tam uictum quam uestitum, quia paucas inuenimus et indigentes, communi consilio et affectus pietate condiximus, ut cuiuslibet defunctę Sanctomialis prebenda post obitum eius per annum donetur, et postea subtrahatur, ut uiuentium et Deo ibidem seruientium uictus et uestitus tanto melius et commodius impendatur. Hęc in primis cum agerem contraria fuerant abbatissę prenominate, quę postea per fideles nostros submonita, sponte consentit, bene laudauit, et ut hęc stabilia et inconuulsa permanerent, per omnia se adiuturam promisit. Cui eciam quę ad se pertineant in suos usus separatim discreta sunt, separatim Sanctomialibus attinentia disposuimus, ut utrius parti sua constent et neutra alteram incuset, omni abolita iniuria, et cessante in futurum querela.

Igitur cum hec omnia multotiens in Capitolio Fricconhorstensi, presente supradicta abbatissa et consoribus et clericis et familia eiusdem ecclesię, nec non presentibus de clero S. Pauli quam plurimis, cum multis nobilibus tam militibus meis quam aliis et nostre ecclesię seruientibus agerem ad altare sanctę

Crucis missam célébrans IIII. N. SEPT. astante turba innumerabili, hęc decreta, hęc disposita, hęc constituta banno episcopali, ut perpetuo maneant, in eternum consistant, perseuerent, confirmauimus, corroborauimus, consolidauimus. Secundo in dedicatione maioris ecclesie Monasteriensis IIII. N. NOV. peracta, eundem bannum dominus Coloniensis archiepiscopus Herimannus, et Leodiensis episcopus Heinricus, et ego Monasteriensis opilio uidelicet ERPHO, astante, audiente infinita tam cleri quam populi qui ad dedicationem conuenerat multitudine fecimus, et qui ex his quicquam, que supra scripta sunt, irritum fecerit, perpetuo anathemate excommunicando condempnauimus. Tertia uice III. IDVS FEB. cum in maiori ecclesia Monasterensi altare in honorem Sancti JOHANNIS BAPT. consecrarem, quo eciam die penitentes in ecclesiam induxi, et reconciliationem et indulgentiam totis utotis totisque animis quoad poteram facere insti, utpote insequenti die Iherosolimam iturus, eundem bannum repetui, non tacui, omnibus indicaui. Contestamur omnes, conuenimus cunctos, monemus uniuersos qui hęc audierant uel in futuro rescierint, ne anime suę periculum de his tacendo incurant, quin eciam quod omnis persona hęc infringens uel irritans uel adnihilare uolens, iudicium diuinę ulationis incurrit, sciat, dicat, contestetur, admoneat, in Christi nomine AMEN.

Actum Fricconhorst Anno dominice incarnationis Millesimo nonagesimo, Indictione XIII. III. Non. Septemb. Anno Ordinationis mee quinto. Feliciter. AMEN.

Das aufgedruckte und zugleich mit Pergamentstreifen festgeheftete Siegel ist nur noch zum Theil erhalten. Man sieht noch das bischöfliche Brustbild (von dem Siegel der folgenden Urkunde verschieden) mit dem Bischofsstabe in der rechten und einem geschlossenen Buche in der linken Hand; von der Umschrift ist noch zu lesen: S. ERP. DI. GRÄ. M. . . . ERNE . . . .

## CLXVI.

In nomine sanctę et indiuiduę Trinitatis. || Sciant fideles tam presentes quam futuri, quia ego Erpho Dei gratia sanctę Monasteriensis ecclesie prelatus allodium Ocelini Were consensu sui heredis Lieuechini sepibus et edificiis ab eo libere conquisiui, sibi autem ego suoque heredi decimas de eodem allodio usque ad exitum uitę suę concessi. Hoc itaque primum in curti mea Hasbeche collaudatum est, secundo iure Westphalico confirmatum in placito comitis Dodechini presentibus his. Walone albo qui aduocationem de eodem allodio suscepit. Hiso de Lecdene presens. Odo. Anno. Lucechin. Rocelo. Abacho. Godeschalcus de Lon. Liberi omnes. Ministri autem Hermannus de Lare. Bernardus. Godeschalcus. Odelricus de Darenuelde et frater eius Walthardus. Mazo de Were. Teodericus de Bilribichi et filius eius Hadoardus. Rodulfus de Lon. Wezelo. Ego igitur deinde hoc ipsum allodium pro salute anime mee in usum ecclesie beatę Marie Monasterii donauui, ut tamen Ocelinus et filius eius reddidus de eodem allodio usque ad exitum uitę suę haberet, sed tantum duos nummos in tributum super altare beatę Marie quoque anno persolueret. Post mortem uero eius filiique sui ecclesia beatę Marię libere obtineret, exceptis septem partibus Fredenensis ecclesie, que sunt segregatę in presentia Weremboldi eiusdem ecclesie aduocati. Eppo uillicus presens et Rodericus frater eius. Hyeric. Lubertus. Odo filius Suegeri. Suegerus de Wilne. Anno millesimo nonagesimo II<sup>o</sup>. dominice incarnationis, indictione XX.<sup>ma</sup> Hęc stabilita sunt in ecclesia beatę Marię Monasterii. Testes igitur tam clerici quam laici hi sunt. Ludolfus prepositus. Suegerus decanus. Adolfus de Lon. Wezelo presbiter. Landduuardus presbiter. Hoico presbiter. Themo. Lambertus de Dale, qui aduocationem de eodem allodio a Walone albo, qui antea eam habuerat, suscepit. Haceco. Robertus. Eilbertus.

Das unten seitwärts aufgedruckte Siegel ist kreisförmig und zeigt den Bischof in halber Figur, mit unbedecktem Haupte, übrigens im Ornate, mit der Umschrift: † Erpho. Di. Gra. Mimigardefordensis Eps.

## CLXVII.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Odalricus fauente clementia diuina Mindensis episcopus. || Notum esse cupimus tam successure posteritati quam presentis temporis aetati, qualiter uenerabilis matrona MERESVID predia sua XI. scilicet Vorewerc in pago qui dicitur Angeri in comitatu MAGNI ducis, collaudante et confirmante filio suo GERHARDO mundibulo et herede legitimo, ecclesie nostre absque omni interdictione et conditione (delegaque)rit, Anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>.XC.VI. indictione IIII. V Id. Febr. ordinationis autem nostre anno primo, quorum nomina hec sunt. II. in Volchrisson, unam in Frithegotessin, unum in (Wegerden, unum) in Wermerinchuson, unum in Hohinchuson, II. in Hemenhuson, unum in Riudenithe, unum in Hiluise, unum in Aesdorpe, et unum in Richildesbiuthle, quod situm est iuxta fluum (Alara), cum omnibus appendiciis, id est areis, edificiis, agris, pratis, pascuis, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, molendenis, molis, punctionibus, siluis, uenationibus, uiis et inuiis, exitibus et redditibus, quesitis et inquirendis, cum omni utilitate que uel scribi uel nominari potest, et CC. utriusque sexus mancipia. Nos autem consilio familiarium nostrorum admoniti, eadem predia, exceptis duobus Voreuerc Riudenithe et Frithegotessun, eidem matrone ex parte nostri quamdui ipsa quidem uixerit, pro annuo censu, quem in placito soluit, uno uidelicet denario, concessimus. Insuper utrisque pariter, ei filioque supradicto, XII. libras decimaram in beneficium dedimus, ea interposita ratione, ut si ipsa superuixerit, beneficia cum prediis retineat, sin autem, ipse quidem beneficia habeat, predia uero in usum ecclesie cedant. Hoc ut ratum et omni tempore inconuulsum permaneat, testibus confirmauimus, scriptis insigni- uimus, sigilli nostri impressione roborauiimus. Nomina autem testium tam liberorum quam ingenuorum subscripta sunt. Thetric. Reginbreht. Volcwin. Bodo. Heriman. Fritheric. Landward. Widikin aduocatus. Atholf. Aerp. Volmar. Helmwer. Ascholf. Kerstin. Thancbreht. Aeicco. Aelo. Dudo. Fritheger. Asbodo. Godefrith. Marcward. Retherd. Aethelwic. Meinward. Aethelger. Tammo. Windilbern. Liuthard. Thiederic. Aeglibreht. Thietmar. Liudolf.

Das Siegel, welches auf der Charte, an einer von Schrift leer gelassenen Stelle, mit schmalen Pergamentstreifen angeheftet war, ist verloren gegangen. — Die Charte ist sehr beschädigt, doch nur wenige Worte ganz verloren gegangen, welche oben aus dem Abdrucke bei Würdtwein ergänzt und eingeklammert sind.

## CLXVIII.

Aus dem Archive des Domstiftes zu Osnabrück.

In nomine Domini nostri IHU XPI. || Notum facimus et notum esse uolumus omnibus tam nostri quam futuri temporis fidelibus, RYOTHWARDVM nobilem nos WIDONEM sancte Osnanbruggensis ecclesie episcopum adisse, et consensu et collaudatione ADALDRV D sororis et legiptime heredis sue absque omni conditione in placito FOLCMARI comitis in ius et proprietatem perpetue possessionis ecclesie Sancti Petri Osnanbruggensi et nobis ad manum aduocati nostri AMVLVNGI tradidisse duas curias, unam LINE et aliam HEMBEKE cum quadraginta nominatis mancipliis, et cum omnibus iure ad predictas duas curias pertinentibus tam in mansis possessis et non possessis, quam in ceteris omnibus rebus, que in illis uel in quibus cunque aliis pagis habentur. Insuper in predicti comitis placito dedit nobis et ecclesie nostre in parrochia HAGEN duos mansos possessos, et in parochia BRAMEZCHE unum mansum uastum, et filium suum HILDEBRANDUM in proprietatem collaudatione predicte heredis sue. Et quia in his omnibus nobiscum bene et fideliter egit, easdem curias, quas nobis dedit, cum omnibus ad ipsas attinentibus, preter illos duos mansos qui HAGE siti sunt, et unum uastum qui est BRAMEZCHE, ei et uxori sue in beneficium prestitimus. Insuper ubi ipse uoluit et elegit, ad predictum beneficium tres libras in decimacione minus uno solido addidimus, ita ut si alter eorum alteri superstes fuerit, utrumque, id est preedium quod dedit et

decimatio quam prestitimus, in beneficium in uita habeat. Post obitum vero eorum sine omni contradictione et predium et decimatio ex toto in usum predictę ecclesię redeat. Si quis autem ex successoribus nostris, quod absit, hoc quod nos fecimus infringere voluerit, potestatem habeat predictus RÖTHWARDVS ad se predia quę dedit recipiendi. Ut autem hęc pagina firmitudinem habeat, sigilli nostri expressione signauimus. Acta sunt ista SINECLA in prenominati comitis placito, Idus Junii anno millesimo nonagesimo septimo, Indictione V. Presentibus testibus ex nobilibus. FÖLKER. GOZWIN. ADALBER. GODESCALC. THIDRIC. HATHEBRAND. TIEMO. Ex liberis autem. FORMVND. WALDMAR. et bergildi ad predictum placitum pertinentes.

Das Siegel, welches aufgedruckt war, ist verloren gegangen. — Die Urkunde ist sehr sauber und charakteristisch geschrieben.

## CLXIX.

Aus dem Fürstlich - Salm - Horstmar'schen Archive.

Notum sit omnibus fidelibus, qualiter dominus BVRGHARDVS Dei gratia Monasteriensis episcopus, semper inopum et oppressorum pius miserator, Gerhardo de Graz, eorum quibus decimas suas debuit inclemencia oppresso, sua miseratione subuenit. Statuit enim sua auctoritate, ut de domo et agricultura suo annuatim tres solidi et XVI. modii silihinis persoluantur, nullusque episcopalis debiti exactor ab eo uel successoribus suis amplius exigere habeat. Huius pacti testes adhibiti sunt. Herimannus camerarius. Arnoldus dapifer. Engilbertus pincerna. Bernhardus de Chemene. Ricbertus de Lon.

Ein grosses kreisförmiges Siegel (wahrscheinlich das des Bischofs) war aufgedruckt; es ist aber der obere, Bild und Umschrift enthaltende Theil, ganz verloren gegangen, während das untere, durchgedruckte Stück an der Rückseite der Charte sitzen geblieben ist.

## CLXX.

IN NOMINE DOMINI. Notum sit omnibus fidelibus tam presentibus quam futuris, quod temporibus regis Heinrici quarti, Dominus Gumpertus venerabilis abbas Patherbrunnensis cenobii, predium quoddam cum uniuersis quę in eo erant mancipiis, iumentis et utensilibus, in pago Ossenthorp, in aduocatia Heinrici comitis de Rietbike, a quodam Gödicone XX. marcis comparauit, expendens ad coemptionem illius calicem argenteum de sua ecclesia cum communi fratum consilio, certe satis utili et fructuosa commutatione. Quę coemptio postea apud Thunerberg in placito Erphonis presidis regali banno confirmata est. Ego vero Heinricus Dei gratia Patherbrunnensis sedis episcopus decimationem de eodem predio illi monasterio perpetualter delegavi, tam pro remedio anime meę, quam interuentu prefati Gödiconis, qui eam in beneficium eatenus possederat, sique rogatu predicti abbatis et fratum eius iam dictam coemptionem et huius decimationis traditionem nostra pontificali auctoritate et banno stabilire, firmare et roborare curauit, et istam cartam hanc constitutionem scriptam continentem sigilli nostri impressione insigniri feci, eterna feriens maledictione omnes qui hanc constitutionem ullo modo infringere presumpserint.

Huius traditionis et confirmationis testes sunt, tam canonici quam monachi huius nostre principalis sedis. Laici vero. Elver. Gerhard. Egbreth. Hugo. Uffo. Liuold. Eizo. Essiko. Herebold. et alii multi.

Acta Patherbrunnon XI. Kal. Septemb. Anno ab incarnatione Domini M.C. Indictione VIII.

Das aufgedruckte grosse kreisförmige Siegel ist zwar zerbrochen, doch erkennt man darauf noch das Bild des sitzenden Bischofs mit dem Bischofsstäbe in der rechten und einem Buche in der linken Hand; mit der Umschrift: Heinricus Gra. Di. Patherbrunnensis Epc. †.

## CLXXI.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Heinricus Dei gratia Patherbrunnensis ecclesiæ episcopus. || Quotiens a nobis subiecti ea postulant, quæ sic eorum profectui conueniunt, ut racioni per omnia competent, non solum quesita ultro offerre, sed et quæ proficia sunt eis paterna nos dilectione decet exhibere. Vnde omnium fidelium Christi tam presentium quam futurorum cognoscat industria, qualiter dominus Gumpertus uenerabilis abbas huius ciuitatis cum suis fratribus nos adiit, et ecclesiæ commissæ calamitates, super incensis eius edificiis, distractis prediis, aduocatorum exactione, violentorum inuasione conquerens, quarundam rerum a nobis in presentiarum canonicam correctionem et ecclesiastice defensionis in futurum tuicionem rationabiliter et suppliciter expetiit. Nos autem ob honorem et amorem Dei, quo ecclesiam eius tuendam gubernandamque suscepimus, et licet multo labore optatæ pacis et quietis in litore collocauimus, rationabili peticioni benignum assensum prebuimus, et primitus quæ milites et homines nostri iuri suo et beneficio uendicauerant, plenarie restituent, hec cum aliis omnibus quæ eadem ecclesia eatenus possederat uel deinceps possessura est confirmantes et corroborantes, presentis scripti auctoritate et banno stabiliuimus et communiuimus, sub anathematis interminatione statuentes, ut nulla persona parua uel magna, domestica uel extranea, contra Dei ecclesias seu iens, quemlibet abbatem et fratres prefatae ecclesiæ super bonis concessis uel concedendis, mobilibus uel immobilibus, inquietare, molestare aut diuestire presumat. Quod si quis ausu temerario attemptauerit, et quicquam ipsius ecclesiæ iuris aut honoris, siue in abbatis regulari electione seu in quacumque ecclesiastice dignitatis et utilitatis prouisione et dispositione imminuere uel infringere presumpserit, anathematis uinculo, nisi uelociter cum condigna satisfactione resipuerit, innotetur, honorisque ac dignitatis sue periculum patiatur. Observantes autem eidem et in eodem loco quæ sua sunt, misericordia diuina custodiat et post hanc uitam ad eternam feliciter peruenire concedat. Testes huius confirmationis sunt. Thietmarus abbas de Helmwardeshuson. Roggerus prepositus. Reimboldus decanus. Conradus prepositus. Bernhardus cellararius. Heinric. Godescalcus. Hizel. Folcbrath. et ceteri omnes canonici. Laici uero. Karolus filius regis Danorum. Erpho comes. Liuppold comes. Conrad. Burghardus. Tiemmo. Gumprecht. Walo. Heinric. Heinric. Bernhard. Thietmar. Liberi homines. Ministeriales autem. Eluer. Ecbertus. Athelwort. Eizo. Item Eizo. Manegold. Hildebold. Herebold. Vffo. Hugo. Adelbrath. Godika. Sibreth. Godescalc. Radolf. Brun. Heriman. et alii multi.

Data Patherbrunnon Kal. Nouemb. Anno dominice incarnationis M.CI. Indictione VIII. Regnante Heinrico rege III.

Das zur Seite aufgedruckte grosse kreisförmige Siegel zeigt den Bischof (in ziemlich roher Figur) mit unbedecktem Haupte, in der rechten Hand den Bischofsstab, in der linken ein offenes Buch haltend, und auf einem breiten Stuhle sitzend; mit der Umschrift: Heinricus Gra. Dī. Patherbrunnensis Epc. †. HE ist jedesmal in einen Buchstaben zusammengezogen.

## CLXXII.

E Strunkii mspt. not. crit.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Adelbertus Moguntine sedis archiepiscopus. Quoniam universis ecclesiis et monasteriis in nostro archiepiscopatu constitutis debito karitatis affectu quantum possumus consulere et prouidere tenemur, et eorum iustis et honestis precibus non contraire, pro deuota petitione dilectorum in Christo filiorum Thietmari abbatis et fratrum Helmuuardeshusensis coenobii, sub impressione sigilli nostri, scripto commendari iussimus, qualiter fidelis amicus noster Comes Dedo de Zygenberch et uxor eius Helburga nomine, sue proprietatis unum mansum in Ghuthingen ab eisdem quondam prefato coenobio pro octo marcis argenti temporibus predicti abbatis impigoratum, tandem acceptis aliis octo marcis argenti ab illo abate et monasterio, consentientibus heredibus suis Hermanno uidelicet ac

Sigebodone, iam sepe dicto coenobio Helmuuardeshusen in proprietatem tradiderunt, in kastello quo dicitur Burcgrona, Comite Hermanno ibidem in comiciali iudicio presidente et uenditionem siue traditionem istam regio banno sentencialiter confirmante. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>.C<sup>o</sup>.I<sup>o</sup>. Indictione VIII.

### CLXXIII.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Heinricus Dei gratia Patherbrunnensis ecclesie episcopus. || Quod ad multorum noticiam peruenire congruum duximus, litterarum monumentis prouida deliberatione curauimus. Presens ergo etas omnisque subsecutura nouerit posteritas, qualiter due sorores secundum carnem libere Bertha et Waltburg nomine, cum consensu tutoris sui Fritheboldi suorumque heredum Bernhardi et Fritherici, quinque mansos in villa Suinuelde, quos hereditario iure possederant, ad Patherbrunnense cenobium in honore Sanctorum apostolorum PETRI et Pauli constructum, tradiderunt, ut non solum beneficium necessarie consolationis, sed eciam auxilium oportune experientur defensionis.

Hec traditio primo facta est in placito Walonis presidis loco qui dicitur Dure, coram multitudine que ad tribunal eius conuenerat, quam ipse regali banno confirmavit et roborauit. Secundo coram principali altari Sanctorum apostolorum PETRI et Pauli presente domno Gumperto abbe cum omni congregazione laicorumque multitudine, ubi et Heinricus nostrae ecclesie aduocatus predictam traditionem de altari suscepit, regisque potestatis banno postmodum in placito aduocati sue stabiluit. Postea prenominate sorores ab amicis suis ammonite se ipsas in proprietatem predictae ecclesie dederunt, et prefatos mansos cum uno qui erat ecclesie in eadem villa, usibus suis quamdiu uiuerent profuturos in beneficium receperunt. Hanc traditionem tam legitime factam bannique nostri auctoritate firmatam, si quis, quod absit, infringere temptauerit, uel aliquam lesionem seu iniuriam prefati cenobii fratribus inferre presumserit, iram et offensam Dei Sanctorumque eius incurrat, de libro uiuentium memoria illius pereat, eterne maledictioni cum diabolo et angelis eius subiaceat. Que ne forte attemptare quis audeat, et ut memoriale in generatione generationum permaneat, paginam hanc inde scribi iussimus et eam impressione sigilli nostri subter consignatis idoneis testibus signauimus. Quorum nomina hec sunt. Rockerus prepositus. Reinholdus decanus. Conradus prepositus. Godescalcus. Reimbertus. Folcbertus. canonici. Liuppoldus comes qui ad placitum Walonis presidis presens erat. Worad uicedominus. Eizo. Ecbrath. Monegold. Item Eizo. Rado de Brenken. Bernhardus causidicus. Frithebold. Meingoz. Sifridus. Adelbero. Folcbrath. Cono. Vdo. Vffo. Hugo. Adelbrath. Hildebald. Heribald. Godescalc. Sibrath. Brun. Richard. Radolf. Becelin. Eckehard. Ernest. Frithemar. Thiederic. Walebrun. Widelo. Welziko. Wizo. Et plures alii studio breuitatis omissi.

Hec traditio et confirmatio facta est anno incarnationis dominice M. C. II. Indictione X. Regnante rege Heinrico III.

Die Charte ist sehr beschädigt und das Siegel zerbrochen.

### CLXXIV.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Heinricus Dei GRATIA PATHerbrunnensis ecclesie humilis minister. || Si specialibus cuiusque fidelium nostrorum necessitatibus perspectis succurrentum et consulendum fore pastoralis sollicitudinis officium exigit, multo amplius et dignius ecclesiarum Dei profectui uel exaltationi congrua diligentiam exhiberi, nouis ad eius necessitatem et utilitatem atque dignitatem pertinentibus rebus, noua immo necessaria et utilia instituta prouideri, auctoritas et ratio deposita. Qua re debitam ecclesiis nobis commissis diligentiam impendentes, omnibus Christi fidelibus tam futuris quam presentibus notum esse uolumus, qualiter uir quidam Wlheri nomine a domno Gumperto abbe ecclesie

beatorum APostolorum PETRI et PAVLI, quę in presenti ciuitate sita est, unum Vorwerc Quallenstide dictum, pertinens in curiam prefatę ecclesię Withun, Jure beneficii accepit, et competentis seruitii eque ut alii ministeriales fidelitatem exhibens, aliquamdiu possedit. Vir autem quidam ingenuus nomine Wort, sedens Herekenthorpe, habebat in comitatu Magni ducis in pago Hallo Nouem mansos paternę hereditatis, quos usu fructuario minus sibi commodos, prefato abbatii Gumperto offerens, eos in dominium ecclesię suscipi, et Quallenstide in ius suę redigi postulabat proprietatis. Cuius desiderio abbas suorum fidelium satisfaciens consilio, Quallenstide a Wlfhero accipiens, consensu ipsius illi proprietario iure possidendum contradidit, et ab eo, heredibus suis fauentibus et predicto duce, bona sua in Hallo Wlfhero iure beneficii profutura in dicionem ecclesię recepit. Hęc nostra licentia et presentia facta, banno nostre pontificalis auctoritatis confirmauimus, et omnes qui hęc infringere et nullare absque iusta et utili commutatione . . . sunt, perpetui anathematis vinculo innodauimus. Quę eciam ut per successiones temporum rata et inconclusa permaneant, litteris ea mandari, testibus comprobari, impressione sigilli nostri fecimus roborari. Testes huius rei sunt. Eluer comes. Worad uicedominus. Vffo. Ecbrath. Essiko. Eizo. Vdo. Cōno. Gerhard. Herebold. Hildebold. Altman. Adelbrath. Bernhard. Waltgot. Sigebodo. Widelo. Brun. Frithemar. Thancmar. Walebrun. Aethelger Liefdach. Wlsmund. Becelin. et alii multi.

Actum Patherburnon XII. Kal. Septembr. Anno dominice incarnationis M. C. III. Indictione XI. regnante Heinrico rege IIIto.

Die Charte ist, so wie das aufgedruckte Siegel, sehr beschädigt.

### CLXXV.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. Ego Gumpertus DEI GRATIA Patherbrunnensis cenobii humilis prouisor. Notum fieri cupio posteris nostris, quod quidam ministerialis principalis ecclesię nostre nomine Godiko, propter multimoda suę fidelitatis et dilectionis erga locum nostrum obsequia, mansum unum in Vsne cum molendino, pertinentem in curiam nostram Wanbeke, tali iure a nobis accepit, ut omni anno in Dominica medie Quadragesimę unum Salmonem fratribus nostris persoluat. Quod si die ipsa uel precedenti sabbato non persoluerit, eodem iure et sententia quo aliquis ministerialium nostrorum statuta sibi transgrediens componat, uel si hoc facere recusauerit, manso perpetualiter caret. Si autem uel ipse uel post mortem suam quisquam heredum eius uiolenter eundem mansum retinere uoluerit, excommunicationi et maledictioni a beatę memorię Meinwerco episcopo inuasoribus nostre ecclesię imprecate subiaceat. Ad huius rei memoriale monumentum, cartam hanc conscriptam sigillo nostro signauimus, et nomina testium de pluribus hic affiximus. Vffo. Hugo. Ecbrath. Heinric. Folcbrath. Altman. Adelbrath. Albern. Waltgot. Hildebold. Herebold. Aelbing. Adelbero. Sibrath. Godescalc. Walebrun. Becelin. Ekkhard. Thiederic. Liefdag. Richard. Rethard. Radolf. Hartman. et alii multi.

Actum Patherbrunnon Kal. April. anno dominice incarnationis M. C. V. Indictione XIII. Regnante Heinrico IIIto rege.

Das aufgedruckte Siegel ist gänzlich zerstört.

### CLXXVI.

C. In nomine domini nostri Christi. Ego Erkenbertus Corbeiensis abbas || hanc kartam iussi conscribi et conseruari, vt sciant tam presentes quam futuri, qualiter Heithenrichus et Cōradus filii Thiethardi, cum essent homines liberi, in nostre ecclesię se mancipauerunt seruitium. Dederunt enim XIcim mansos in uilla quę uocatur Eilinstidi, et se ipsos ecclesię, ut mererentur accipere beneficium et aedificium patris

sui, excepta uillicatione in GRONigge, Croppenstidi, Hammenthorp, et omni utilitate quę pertinet ad seruitum abbatis, hoc firma sponсione collaudantes, ut nunquam super hoc negotio aliquam inquietudinem ecclesię facerent. Hęc autem acta sunt Corbeię, Sub aduocato comite SIGEFRIDO, coram omni congregatione aliquis testibus, Scilicet Heinrico preposito. Wernhero. Adelberone. ac Hugone. Rōtperto. monachis. Eikone patruo eorum. Adelrado Comite. Roderico. Anshelmo. Liudolfo. Heremanno. Odone. Waldrico pincerna. Immone. Annone. Item Annone. Redingo. Radolfo. Hilderico. Erph. Wolmanno. Rotmundo. Brungero pincerna. Heribaldo urbano pretore. Godescalco dapifero. Item Godefrido. Godescalco.\* Walberto. Wagone. Thiederico. Gerberto. Eberhardo. Cōrando. Waldriko Camerario. Godefrido. Christino. et alius multis. Horum etiam in presentia Reding filium suum Albericum cum consensu attauit sui Alberici et auunculorum eius Alberici et Adelberti in seruitutem sancto Vito tradidit cum IIII or. mansis et dimidio in Dalethorpha, vt quod habuit pater eius in Horslevi ab abbe consequeretur beneficium. Quę ne vel obliuicne aut aliqua occasione vel ex nostra vel illorum parte immutentur, et ne pars alterutra amodo post coram probabilibus testibus factam conuentionem inquietetur, hęc conuentionis karta patroni nostri Sancti VITI sigillo corroboratur, cui a nemine fidelium tum pro honoris sui gratia, tum pro ęterni iudicii vindicta contemptoribus preparata contradici debetur.

Actum Corbeię coram altario sancti STEPHANI protomartiris, anno incarnationis M. C. VI. imperante Heinrico Vto.



*Signum Sci Viti Mris.*

Das Siegel, welches aufgedruckt war, ist verloren gegangen.

### CLXXVII.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. Quia nonnunquam accidit, ut rerum gestarum homines obliuiscantur, aut si forte sciant non fateantur, iccirco notum sit uniuersis posteris nostris, quod ego Gumpertus Dei gratia Patherbrunnensis cenobi humilis prouisor mansum unum in Hilasan a quodam canonico matris nostre principalis ecclesię Reinboldo nominato, presentibus et fauentibus heredibus eius, tribus marcis comparaui. Mansum istum postmodum cuidam aurifici nomine Reinboldo, fratum aliorumque fidelium nostrorum consilio in beneficium dedi, tum pro seruicio artis sue quo nobis fideliter et utiliter seruiuit, tum quia ipse tres predictas marcas super altare Sanctorum apostolorum PETRI et PAVLI ad coemptionem eius obtulit. Tali autem conditione illi eum dedimus, ut quoad uixerit ipse eo usu fructuario utatur, post mortem uero eius sit nobis liber ab omnibus filiis et cognatis eius, et nostris usibus seruat. Hac de causa cartam hanc conscriptam et sigillo nostro immo Sanctorum apostolorum PETRI et PAVLI signatam, predicto Reinboldo dedimus, ut sit tam ipsi quam nobis in testimonium.

Huius rei testes sunt. Frithericus prepositus. et ipse Reinboldus factus decanus. Heinricus. Folcbertus. Gernandus. Hizelinus. Imgram. Bernhardus. canonici. De fratribus nostris. Lentfridus prior. Becelin. Bernhard. Johannes. Geueko. Aelbing. Meinwerc. Werinher. Adelger. Rothard. Albern. Laici uero. Eluer. Wffo. Hugo. Hildebold. Herebold. Adelbero. Ecbrath. Folcbrath. Waltgot. Sibrath. Bruno. Godescalc. Frithemar. Liefdag. Ekkihard. Becelin. et alii multi.

Datum Patherbrunnon VI. Kal. April. Anno dominice incarnationis M. C. VII. Indictione XV. Regnante Heinrico rege V.

Das zur Seite aufgedruckte Siegel ist zerstört.

\* ) Von einer jüngeren Hand ist über diesen Namen geschrieben: De Holdesson.

Cod. dipl. hist. Westfal.

## CLXXVIII.

Aus dem Kopialbuche des Stifts Corvey.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia quintus Romanorum Rex. Auctoritate sanctorum scripturarum et maxime ex diuersis uerbis in euangelio didicimus, quod dominum Dei, que ipso testante domus orationis uocatur, nunc hilariter dando, nunc uota persoluendo, nunc iusticiam faciendo debemus honorare atque sublimare, ut hoc modo Deum creatorem nostrum hic et in futuro propicum habere mereamur, cui seruire uere regnare est. Cuius rei consideratione, nostram pensantes salutem et successorum nostrorum, ecclesie Corbeiensi subuenire in hiis que necessario postulauit decreuimus. Qua propter omnibus Christi nostrique fidelibus nunc et semper notum fieri uolumus, qualiter nos causa Dei et beatorum martirum Stephani, Viti et Justini et aliorum sanctorum, ob salutem nostram nostrorumque parentum, digno interuentu Fritherici Coloniensis archiepiscopi, Burchardi Mimigardeuorden sis episcopi, Euerhardi Eistadensis episcopi, Benedicti Mutinensis episcopi, Heremanni comitis, Godefridi comitis, Sigefridi aduocati, Luduuici comitis, Wicberti et aliorum nostrorum fidelium, et precipue digna pettione uenerabilis Erkenberti abbatis, Officium quod quidam Escelinus sibi pro hereditario beneficio uendicabat, iudicio contubernalium suorum ei ablatum, congregationi remisimus, et nisi predictus abbas cum fratribus suis intercessisset, digna ipsum ultione pro iniusticia ei illata punissemus. Quam ab hominabili enim iniusticia hoc non dico beneficium sed maleficium sibi uendicauerit, ipsius rei agnitus probabit, omnem quippe annonam fratrum extra canonice addecimatam suscipiens adhuc decimabat, et quod scelestius est etiam septimabat, et hoc suum beneficium nefarie affirmabat. Omnibus igitur nostris fidelibus idem iniustum et sacrilegum acclamantibus et probantibus, ipsum ex toto officium congregationi remisimus et confirmauimus ut prepositus loci iussu et consensu abbatis qui pro tempore fuerit prouisorem annone fratrum quem cautiorem iudicauerit habeat, nec ipsi abbati uel cuiquam successorum eius seu alicui potestati magne uel parue idem commutare liceat, qui uero hoc temerauerit pro contemptu regie maiestatis fisco nostro CCC<sup>a</sup> talenta persoluat. Ut autem hec nostre pietatis concessio omni euo inconcussa permaneat, hanc cartam inde conscriptam impressione nostri sigilli iussimus insigniri.

*Signum domni Heinrici quinti regis inuictissimi. (L. M.)*

*Adelbertus cancellarius uice Rothardi Moguntini archiepiscopi et archicancellarii recognoui.*

Data II. Kal. Octobr. indictione XV. anno dominice incarnationis M.C<sup>o</sup>.VII. Regnante Heinrico V<sup>o</sup> Rege Romenorum anno II. Ordinationis eis VIII<sup>o</sup>. Actum est Corbeie in Christo feliciter amen.

## CLXXIX.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. Notum sit cunctis ecclesiæ fidelibus, qualiter comes ciuitatis istius Elserus nomine, pie recor . . . . . commemorationem animæ suæ coniugis Regelindis, mansum unum in Othihem quadraginta iugerum, consentientibus heredibus eius, cum uno mancípio Tammo nomine, ad altare Sanctorum apostolorum Petri et Pauli hac sub pettione obtulit, ut idem mansus custodis prouidentia sanctorum usibus pro requie animæ eius deseruiens, eiusdem concessionis obtentu, futuorumque annue commemorationis interuentu, a peccatorum nexibus absoluta, iustorum congregetur consortio, et quæ procella tempestatis exorta, tonitru et fulmine percussa subito miser . . . . precibus eterne lucis mereatur perfrui solacio. Ego Gumpertus Dei gratia Patherbrunnensis cenobii humilis prouisor, hec nota et rata apud posteros nostros fieri cupiens, hanc paginam inde conscribi et eam sigillo Sanctorum apostolorum PETRI et PAVLI et nostro insignire mandaui. Testimonium perhibent huic rei uiri idonei. Vffo.

Hugo. Ecbrath. Hildebold. Adelbero. Eizo. Adelbrath. Folcbrath. Essiko. Gerhard. Godescalc. Sibrath. Fri-  
themar. Radolf. Embrico. Meinger. Richard. Liefdag. Ekkihard. Weliko. et alii multi.

Actum anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>.C.VIII. Indictione II. Regnante rege Heinrico V.

Die Charte ist sehr zerstört, und das Siegel, welches derselben mit schmalen Pergamentstreifen aufgeheftet war, ver-  
loren gegangen.

### CLXXX.

Aus dem grossen Kopialbuche des Domstifts zu Münster.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ad omnium noticiam peruenire desideramus, qualiter dom-  
nus Börghardus Mimigardefordensis episcopus, ob piam petitionem ac deuotum seruicium Herimanni came-  
rarii et sue religiosae uxoris Athelindis, et omnium fratrum consensu ac rogatu, talentum decimae fratribus  
pie ac benigne dedit, ea uidelicet condicione, ut eidem domne Athelinde fraternitas et integra sicut uni  
fratrum prebenda quoisque uiueret daretur, et si ipsa absente maritus suus H. domi esset, ipse plenam  
prebendam acciperet, si uero neuter illorum, sicuti fratri absenti domne A. daretur, hac autem defuncta,  
eius prebenda sicut domne Emmæ indesinenter tam minoribus quam maioribus distribuatur, sed tamen  
magis plenarie, scilicet cum pane albo et nigro, carne, lardo, et aliis utilitatibus que dantur ad prebendas  
episcoporum Sigifredi, Thiedrici et Frederici. Preterea idem Herimannus unum mansum in Dorouelde V.  
sol. persoluentem cum quinque mancipliis, filiis suis Wetzelino, Ernestone, Herimanno benigne ac ultro  
consentientibus, ad usum fratrum tradidit, quatinus in suo anniversario utriusque simul sui scilicet et uxoris  
sue memoria celebretur. Hec autem sunt loca de quibus decimarum debita soluuntur. De Westbinnethem.  
Geko II. sol. de eadem villa Hamako II. sol. Lanzo de Myddelwic I. sol. Hetzel de Steinberghe II. sol.  
Adolf de Samaron II. sol. de dotali manso ecclesie den. II. sol. de curia dn. sex sol. de domo Bernhardi  
dn. II. sol. de quodam in Stathede quod iacet sub aratro Hatewordi decem et octo numi. de quodam  
aru sub aratis Gerhardi Sueui in Humelinctorpe octo numi. Hoc quoque stabilissime determinatum est,  
ut idem predictus mansus Dorouelde, atque predictæ decimæ in custodia celerarii permaneant, quicumque  
celerarius fuerit, ut inde prebenda quotidiana administretur. Facta sunt hec et confirmata banno episcopali  
anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>.C<sup>o</sup>.X<sup>o</sup>. Indictione IIIa. anno uero ordinationis Burghardi episcopi XII<sup>o</sup>. in  
ydoneorum testium presencia, quorum nomina subter notaimus. Canonici. Thidericus. Thuringhus. Burg-  
hardus. Gerhardus scolarum magister. Symundus. Gerbertus. Godefridus. Betzelinus. Helmwordus. Adelgotus.  
Norbertus. Herolinghus. Item Betzelinus. Volcbertus. Amulricus. Engilbertus. Guntramnus. Liberi. Godescalcus.  
Bernhardus. Ludbertus. Lantfridus. Herimannus frater suus. Reymfridus. Ruotdofus. Adalbertus. Ministeriales.  
Godescalcus. filii sui. Godescalcus. Reynwardus. Wlfhardus. Engilbertus. Arnoldus. Werenco. Herimannus.  
Wetzelinus. Adalbero. Bernhardus. Ruothardus. Wlfhardus. Etzelinus. Brunsten. Bernhardus. Weringis. He-  
mezo. Herimannus. Kristianus. Gerbertus. Thidericus. Godescalcus. Hathewordus. Data VIII<sup>o</sup>. Idus Augusti  
Mimigardeforde feliciter.

### CLXXXI.

IN nomine sancte Trinitatis et individue Unitatis. Antecessores nostri uiri moribus et uita religiosi  
per omnia sue posteritati prouidentes, benignitatis opera, deuota mentis intentione, litterarum consignabant  
testimonio, ut si forte mentem humanam ceperit preteritarum rerum obliuio, statim ueneranda priorum  
memoria redeat ad cor, presentato simulque recitato peracti operis priuilegio. Igitur Mimigardefordensis  
ecclesie canonicus Godescalcus nomine, presbiter in ordine, precedentium patrum uestigia fideliter incedens,  
sancto PAVLO ob remedium anime sue, ad usum regularium Dco seruientium, quoddam premium  
tradidit

in Telgoht situm, firmissima subnectens ratione, ut illud idem premium semper sub manu decani fratrumque consensu contineatur, et annuatim in uigilia omnium Sanctorum oblatio LX. panum et totidem caseorum cum candela fratribus in commune deuotissime tribuatur. Hac uero traditione coram multis testibus idoneis tam clericis quam laicis legitime et canonice peracta, impetravit ille frater Godescalcus presbiter a decano Helmeriko eundem mansum prestari cuidam Hezelino eiusque filio Walthardo post illum, ut dum ipsi uiuerent, colerent et possiderent, predictam oblationem determinate persoluendo. Sed Walthardus filium non habens iniit consilium, ut unam de filiabus suis Ibikin nomine redimeret cum duobus mancipiis erga uillicum Godescalcum, consiliante et collaudante familia, et sic ab omni coactione seruitutis aliena facta, copulata est homini libero nomine Eilberto in coniugium. Qui postea utrique et uir et mulier cum Walthardo aliisque amicis uenientes in capitolium, coram decano Thiederiko et fratribus dederunt se in proprium cum iuramento sancto PAVLO sueque familię regulari, ad eandem iusticiam obtinendam, quam habent pertinentes ad preposituram, ea uidelicet conditione, ut hoc supradictum premium, iam a Vualthardo redditum decano, prestaretur ipsis uiuentibus et filiis suis de se forte uenturis, cum ipsa ut dictum est danda oblatione. Hoc totum cum utique omnibus qui aderant in commune placeret, decanus Thiedericus, cum uoluntate fratrum, ipsum premium commisit Eilberto et uxori sue Ibikin iure claustrali, ut dum illi uiuant et filii sui post eos illud sepe memoratum studiose persoluant debitum cum cura officiali. Huius ergo conuentionis testes sunt. Thiedericus Decanus. Betzelinus. Gerbertus. Godefridus. Gerhardus. Helmordus. Ruotbertus. Horolingus. Herimannus. Guntramnus. Amulricus. Adalgotus prepositus. Herimannus. Adalbertus. Rothericus. Wicbertus. Meinricus. Hermodus. et de ministris ecclesie. Herimannus camerarius. Godescalcus uillicus. Engilbertus. Bernhardus. Liubertus. Rohthardus. Euerhardus. Harteuuigus. Walthardus. Ricbertus. Eilbertus. aliique quam plures, quorum nomina notare longum est. Sed largiente gratia Dei, et clericorum et laicorum ita stabilitum est testimonio, ut a nullo possit infringi sine animarum periculo. Viuat et regnat Dominus per omnia benedictus Deus. AMEN.

Die Schrift der Urkunde ist ausgezeichnet schön und charakteristisch. — Das aufgedruckte Siegel zeigt das seitwärts sehende Brustbild des heil. Paulus, eben so wie es bei den späteren Domkapitularischen Urkunden vorkommt, und ist am Rande bedeutend beschädigt.

## CLXXXII.

Aus dem Kopialbuche des Stiftes Corvey.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Nouerit omnis etas et sexus tam presentium quam futurorum, qualiter Erkenbertus uenerabilis abbas Corbeię ob remedium anime sue et utilitatem successorum suorum acquisierit allodium Sigiberti cuiusdam liberi et honesti uiri, scilicet quidquid habuit in episcopatu Moguntinensi et Potherburnensi, in hiis uillis. Grene. Siboldessen. Item Wulfringhusen. Salla. Andepen. Infernisi. Saermergerinchusen. cum ministerialibus uiris et aliis mancipiis utriusque sexus, edificiis, areis, agris, pratibus, campis, pascuis, siluis, aquis aquarumque decursibus et omnibus utensilibus ad eas iure aspicientibus, collaudantibus filiabus suis, Machthilde, Volcwiga, Aluerada, que iusta successione heredes eius exstiterant. Concessit hic uenerabilis abbas predicto uiro Sigiberto iusta precaria curiam que dicitur Huldessem cum omni utilitate ad se pertinente et duas decimas in uillis nuncupatis Caphlike et Nanni. ea condicione ut si quis de hiis prediis a prefato Sigiberto in beneficio aliquis suscepereat, post mortem ipsius irritum fiat. Et si quis minus accepit ex hiis tredecim talentis, abbas id supplebit, insuper pellicium et pelles tali uiro conuenientes uel tres marcas et dimidiam quoadusque uiuat singulis annis intra festum sancti Martini et sancti Thomę persoluet, de predicta autem precaria Sigibertus dabit uni filiarum suarum nomine Machildi sanctimoniali quandiu uiuit duo talenta, mortuo uero eo eadem pecunia ex precaria restabit filię usque ad exitum uitę. Hanc autem donationem fecit idem nobilis uir Sigibertus primum ad altare sanctorum martirum S'ephani et Viti pro se et pro anima filii sui Sigiberti coram omni congregacione monachorum

a quibus et in fraternitatem susceptus est, et aliis multis insipientibus. Postea ipsam tradicionem confirmans collaudatione heredum suarum in concilio Gerhardi comitis, suspicente eodem Gerhardo ipso ab abbatе aduocato super ea quę sibi adiacent constituto. Quę item confirmatio ab heredibus facta est in concilio Reinoldi comitis ipso recipiente et aduocato super sibi uicina constituto. Si quis autem ex successoribus nostris ei infringere uoluerit, ipse liberam disponendarum rerum suarum habeat facultatem. Et ut hęc illi rata permaneant, sigillo patroni nostri insignari precipimus.

Isti sunt testes tradicionis quę facta est Corbeię ad altare sanctorum martirum Stephani et Viti. Humpertus qui uice aduocati eam recepit. Sigifridus et Thietmarus cognati ipsius Sigiberti. Volcnand. Anshelm. Wortwin. Adelrad. Aler. Gerbert. Heribald. Baldo. Godescalc. Hereman. Lenciko. Hildibern. Cunrad. et alii quam plures. Hii autem affuerunt confirmationi factę in concilio Gerhardi comitis. Godefridus prepositus. Ropertus portarius. Gebehard capellanus. Adelbertus canonicus. Folcmarus comes. Gumbertus et frater eius Reimboldus. Wortwin. Fritherich. Benno. Reimbold. Hicel. Reinhard. Walthric. Rothard. Tucelia et frater eius Ruthulf. Hicel. Thietmar. Aluer. Calud. Hildeward. Reimbert. Hartman. Thiedric. Hartman. Gerlag. Thiedric. Vnico. Iko. Wolbrath. Witeko. Aldwin. Alberich. Willico. Thietmar. Hii omnes sunt liberi. Isti autem ministeriales. Bodo comes. Godescalc dapifer. Liudolf et frater eius Heribald. Volbert et frater eius Godescalcus. Godescalcus de Hotepe. Herinold et frater eius Humpertus. Rudwin. Wernhard. et alii multi interfuerunt ubi hęc acta sunt secundum legem et iusticiam Angariorum. Item testes confirmationis quę facta est in concilio Reinoldi comitis. Ipse Reinboldus qui ea recepit aduocatus super sibi adiacentia constitutus. Otto. Tedi. cognati ipsius Reinoldi. Liudolf. Hildebrecht. Thetwin. Sareword et filius eius Johannes. Adelward. Meinger. Euerhard. Brun et frater eius Godescalc. Bodo. Hager. Reinhard. Ricker. Isiko. Aldrich et filius eius Reinhert. Thieder. Marcward. Meinhere. Thieder. Bernhart. Liuthere. Joseph. Johannes. Athercht. Aisward. Raso. Volmar. Raben. Stephan. Walbrecht. Thiedrich. Gerbrecht. Wago. Brun. Berthold. Helmwig. Eberhard. Odo. Waldrik. Marcward. Reinbert de Aldenthorp. Haelt de eadem uilla. Otto. Ruthere de Holthusen cum filio suo eiusdem nominis. Reinger. et alii complures comprouinciales eorum. Acta sunt autem hęc secundum ritum Osterauhson herescaph in pago Sulburgowe. Anno dominicę incarnationis M<sup>o</sup>.C<sup>o</sup>.XIII<sup>o</sup>. Regnante Heinrico V<sup>o</sup>. Ordinationis uenerabilis abbatis Erkenberti abbatis anno octauo in Christo feliciter A.M.E.N.

### CLXXXIII.

Notum esse uolumus tam presentis quam futuri qui fidelibus, quod ego HEINRICVS gratia Dei ecclesię Patherbrunnensis episcopus, rogatu uenerabilis ERKENBERTI Corbeiensis abbatis et fratum eius, tradidi ipsis in utilitatem specialiter fratrum decimas de noualibus quę fiunt supra uillam Huxeri, in Bilenberg, in Rokesberg, in Frithebugil, in omnibus quę uel modo extirpata sunt, uel post hac extirpari poterunt, pro remedio anime mee ceterorumque episcoporum Patherbrunnensis ecclesię. Traditiones etiam antiquas et consensum antecessorum meorum confirmo in ceteris decimis omnibus quas in Patherbrunnensi episcopatu possidere noscuntur, ne quis futurorum terminos antiquos quos statuerunt patres nostri transgredi moliatur. Et ut hanc traditionem nostram et confirmationem nemo conuellat, set in ęternum eis rata permaneat, has litteras ipsis conscribi fecimus, quas etiam in testimonium impressione sigilli nostri roborari precepimus. Actum Corbeię anno dominicę incarnationis Millesimo centesimo quarto, \*) imperante Romanis HEINRICO quinto, presidente Corbeiüs abbate ERKENBERTO. Data XVI. Kal. Martii.

Von dem aufgedruckten Siegel ist nur ein Bruchstück übrig, auf welchem man noch einen Theil von dem Bilde eines sitzenden Bischofs sieht.

\*) So liest zwar das Original; da aber im Jahre 1104 weder Kaiser Heinrich V. noch der Abt Erkenbert an der Regierung waren, so ist zu vermuten, dass bei der Jahrzahl aus Versehen das Wort decimo ausgefallen ist.

## CLXXXIV.

Aus einem Codex des Stiftes Corvey. Handschrift des zwölften Jahrhunderts.

Sancte huic Corbeiensi ecclesie consulere cupiens ego ERkenbertus gratia Dei abbas, sed nihil utilitatis considerans esse in foro quod adiacet ponti in Hugseli, consilio fratrum et ministerialium atque aliorum fidelium nostrorum id exegi, ut singulis annis de singulis macellis uel locis in quibus cum mercimoniis consistunt mercatores, III<sup>or</sup>. nummi kamerę nostrę persoluantur in cathedra Sancti Petri, sicut mos est et consuetudo in omnibus locis in quibus mercatus regio priuilegio firmati sunt. Quod ne forte graue sit alicui eorum qui hęc soluunt, damus illis potestatem, ut eadem loci uendant, et pro uadimonio ut libuerit ponant ut ante consueuerant. Comes etiam qui nostra dispensatione uillę prefuerit, accipiat quod ab illis dicitur Vorhure, ubi locus hereditario iure uacuatus fuerit. De ipsa autem pecunia constituimus X. solidos dari ad altare Sancti Viti, ut per totam XL<sup>mam</sup> cęrea ibi candela pro nostra et dantium salute iugiter ardeat. Hęc pro loci utilitate nos statuisse quisque fidelis perpendat, qui autem neglexerit uel infregerit, ęterni iudicii sibi damnationem adducit. Huius statuti testes sunt. Gerbertus camerarius noster. Godefridus prepositus. Rōpertus portarius. Ex laicis vero Widikindus. Thietmarus. Thiederic. Hildibern. Christianus. Eilharrd. Hoger. Horic. Todico. Egono. Folcmar. Ecelin. Helmdag. Adalrad comitis et filii eius II<sup>o</sup>. Thiederic et Adalrad. Waldric pincerna. Waldric camerarius. Waldric item pincerna. Gerbertus. Anno. Liudolf. Adelbreth. Wern. Presente Sigefrido aduocato. attestante omni nostra congregazione et cunctis Hugseliensibus conciuibus. Quę ut rata ecclesie nostrę maneant, auctoritas sacratissimi Viti ipsiusque sigilli inmunitas hęc scripta corroborat. Actum apud eandem uillam anno incarnationis Domini M.C.XV. Regnante Heinrico V<sup>o</sup>. imperatore augusto. III<sup>o</sup>. Idus Junii.

Isdem uenerabilis Erkenbertus abbas utilitati fratrum et sue saluti consulens, statuit nobis ex quibusdam prediis que ipse acquisiuit vel redemit karitates in anno. Vnde sicut illi pro his ęternam deprecamur requiem, sic infringenti ęternam imprecamur ultionem. Statuit primum in anniuersario predecessoris sui Marcwardi abbatis V. solidos fratribus de manso uno in Choten. Redemit etiam a quodam Wernhero III<sup>b</sup>. talentis et dimidio mansum I. in Wellethe soluentem X. sol. de quibus fratribus statuit V. in anniuersario patris sui X. Kal. Aprilis, V. in anniuersario matris XI. Kal. Nouembr. Concessit etiam fratribus molendinum adiacens sub monte aquę quę preterfluit Albahtessen, quod soluit X. sol. precatu Godefridi prepositi, qui ipsum molendinum redemit ab Ezzelino XXII<sup>b</sup>. sol. ut fratribus in anniuersario Titonis inclusi, qui eundem prepositum ad conuersionem perdixit, V. sol. inde persoluantur, V. reliqui in sanctarum virginum, quarum reliquias ipse prepositus nostro monasterio inuexit. Vnum quoque mansum redemit ab supradicto Ezzelino, qui iacet in Erclon. Hunc commisit custodi ecclesie, ut in anniuersario sui VIII. sol. fratribus inde persoluat. Remisit quoque fratribus XII. iugera, quod uocatur campus gallinarum, unde substituit eis in anniuersario suo ceruisiam XC. modiorum. Redemit etiam a quodam Aldolfo beneficium suum, dimidiam scilicet carra-dam vini, unde fratribus ad anniuersarium suum statuit semel propinari, reliqua preposito dedit ad hospites suscipiendos, ne uinum fratrum in aliquo minueretur.\*)

\* ) Dieser, mit der obigen Urkunde in keiner sachlichen Verbindung stehende Anhang, ist offenbar nur ein willkürlicher Zusatz des Abschreibers und konnte erst nach Erkenberts Tode gemacht werden; durfte aber hier doch weder wegleiben, noch von der ihm einmal, wenngleich nur zufällig, angewiesenen Stelle entfernt werden.

## CLXXXV.

Aus dem Kopialbuche des Stiftes Corvey.

Erkenbertus Dei gratia Corbeiensis abbas, praesentibus atque futuris, etate futura superuenturis, notum esse uolumus, quomodo temporibus nostris per uicarium meum Christinum elemosinam monasterii adauxi. Emit itaque ipse Christinus quatuor talentis a quatuor fratribus, Reimberto, Eremfrido, Bertholdo, Radolfo, assentientibus iustis eorum heredibus, in Crymmehusen aream unam XL. iugera cum omni utilitate, edificiis, pascuis, siluis, aquis aquarumque decursibus, unde prefati fratres consensu heredum suorum III. Non. Maii tradicionem manu sua more saxonico in presencia nostri et aduocati fideliumque nostrorum coram omni congregatione fecerunt in monasterio nostro ad reliquias sanctorum martirum Stephani, Viti et Justini. Et ego firmaui iure meo ad domum elemosinariam coram hiis testibus. Sigifrido comite et aduocato. Widikindo uice aduocato. Thietmaro libero. Adelrado. Gerberto. Ecelino. Annone. Erp. Haeldo. Habone. Waldrico camerario. Waldrico pincerna. Item Waldrico pincerna. Godescalco dapifero. Heribaldo pretore urbis. Horico. aliisque quam plurimis. Anno Domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. XVI. actum et confirmatum.

Tradidit quoque hortatu prefati Christini quedam nobilis femina Hoburc ad altare sanctorum martirum predictorum pro salute sua omnisque sue parentele, collaudantibus herede eius Reinhardo et vormundo suo Ortomaro, In Crymmehusen areas II. mansos III. in Eilenhusen areas II. mansos II. in Regildinchusen aream I. mansum I. cum omni utilitate in edificiis, agris, pratis, aquis aquarumque decursibus, et medieate molendini in Crymmehusen, que predia sicut priora concessi ad elemosinam monasterii, et domine Hoburge prebendam omni tempore uite sue donauit. Anno domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. XVIII. II. Kal. Januarii, coram hiis testibus. Sifrido aduocato. Adelrado. Heribaldo. Hildeberno. Gerberto. Horiko. Sahsone. Wern. Eilhardo. Christino. Ecelino. Reinhero. Hobone. Godescalco. et prenominatis Reinhero. Ortomaro. Hugone. Confirmatum in placito Reinholdi, in cuius comitatu eadem predia sita sunt, primo iuxta Olberg coram hiis testibus. Vnicone. Heremanno. Wazzone. Ecelino. Barawardo. Haeldo. Reinggero. Walberto. Wagone. Helmwigo. Wigmanno. aliisque innumeris diuersè condicioneis et etatis. Item quoque ipse comes secundo ipsam traditionem regio banno confirmauit in quodam placito ubi omnes sui comitatus homines auditores et testes erant. Heç ut inconuulsa omni tempore maneant, has testamentales literas sigillo Sancti Viti patroni nostri muniuimus.

## CLXXXVI.

Aus dem Archive des Fürsten von Salm-Horstmar.

Lodewicus Dei gratia Monasteriensis Ecclesie Episcopus, Vniuersis Christi fidelibus ad quos presentes litere peruerent, Salutem cum noticia veritatis. Noueritis quod constitutus in nostra ac testium infra scriptorum presentia Hermannus Rost, Canonicus Monasterii Varlarensis, nobis quasdam literas venerabilis in Christo patris domini Theoderici, nostri quandam predecessoris, eius uero sigillo ut prima facie apparuit sigillatas, sigilloque huiusmodi affixo a tergo inferius eisdem literis more veterum, omni ut apparet suspicione carentes, presentauit, supplicans nobis, ut easdem literas transcribi et sigilli nostri appenditione muniri faceremus, quarum literarum tenor sequitur in hec uerba.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Theodericus Dei gratia Mimigardeuordensis Episcopus. Quia boni pastoris est, utilitati sibi commissi gregis in omnibus prouidere, rem memoria dignam, ne eam annosa vetustas obscuret, literis nobis placuit auribus posteriorum commendare. Notum itaque esse volumosa tam futuris quam presentibus Christi fidelibus, quod lacrimabilibus querelis omnium marke que Goplen vocatur in parochia Cosfeldensi inhabitantium interpellati, ob deuastationem eiusdem marke, que in successione pulcherrimorum in ea lignorum ab hominibus Cappenbergensem Comitum fiebat, scilicet a Curte

Varlarensi nec non et a Curte Cosfeldensi, Illustrissimos comites et fratres Godefridum et Ottонem atque nepotem eorum optime indolis iuuenem Henricum, multis nobilibus personis adhibitis, ad communem utilitatem euocauimus et amica ammonitione, ut ab intolerabili tyrannide homines suos inhiberent, commouimus, qui Nobilissimi Comites Godefridus et Otto atque Nepos ipsorum Henricus, quando iam conceperant mente voluntariam pro Christo paupertatem velle subire, siluam que vocatur Northolt, que in ipsorum predio succreuerat, nobis persuadentibus, ad dilatandos eiusdem marke terminos in reconciliationem preteriti facti, simul etiam et vtronei aliam siluam que Rette vocatur in augmentationem Varlarensis marke contulerunt, ea videlicet conditione, vt Varlarensis curtis per circulum anni in eadem siluam Jus habeat omni die cum duabus tantum securibus indifferenter ligna succidendi, et cum duobus curribus et non pluribus euehendi. Iusuper et sortem vnius Curtis in Jam predicta marka adeo plenarie ac si in ea sita esset obtineat. Decretum est etiam, ut si homines eandem marke Goplen inhabitantes, maliciosa intentione ipsam siluam Northolt penitus deuastando succiderint, seu per se ligna defecerint, curtis Varlarensis Jus ipsum quod in hac silua habuerat in reliquis ipsius marke lignis obtineat. Sane et hoc determinatum est, vt Curtis in Cosfelt omnes eandem villam in Cosfelt tam inhabitantes quam adhuc inhabitatuos aqua et pascuis et lignorum sarmensis sua licentia tueatur, et sua sorte contenta nullam violentiam ipsam marke inhabitantibus in succione lignorum inferat. Vt igitur hec compositio utriusque parti stabilis in euum permaneat, eam contra omnium machinamenta fraudum et priuilegii nostri auctoritate roboramus et sigilli impressione communimus. Testes sunt hii. Wescelinus, Renoldus, Capellani. Herimannus, Otto, Comites. Nithinc, Franco, liberi. Robertus, Herimannus, Bernardus, Arnoldus, Walterus, Setherus, Godescalcus, ministeriales. Acta sunt hec dominice Incarnationis Anno M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. XVIII. Indictione quinta.

Nos igitur Lodewicus Episcopus prefatus, examinatis literis huiusmodi, vna cum testibus infrascriptis, easdem transcribi fecimus et sigilli nostri appensione muniri. Actum Horstmare, presentibus ibidem Nobili viro domino Giselberto de Brunchorst, nec non venerabilibus viris Rodolpho Decano Ecclesie sancti Ludgeri Monasteriensis, et Nicolao scolastico Horstmariensi, ac Lamberto nostro Capellano, nec non strenuis viris Bernardo de Drulshaghene milite, Johanne Maleman, Bertoldo de Langhen, aliisque quam pluribus fide dignis ad premissa conuocatis. Datum anno Domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XLIII. Ipsa die beati Jacobi apostoli.

Von dem angehängten Siegel sind nur noch Bruchstücke vorhanden.

## CLXXXII.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Conradus diuina fauente clementia Marchio Misnensis. Omnibus Christi fidelibus notum esse uolo et perpetue memorię commendari desidero, qualiter uir ecclesiasticus Monasteriensis ecclesię antistes Fridericus, consensu uenerabilium uirorum fratrum suorum, meorum parentum, uidelicet marchionis Dedonis, Geronis, Conradi comitum, patris quoque mei Thietmonis, ceterorumque alio consanguinitatis articulo mihi coniunctorum, et consilio et licentia uenerabilis uiri Bucconis Haluerstadensis episcopi, ecclesiam quę dicitur Gerbestede, pro honore sancti Johannis Baptiste, cuius reliquie ibidem continentur, ex patrimonio predictorum principum ditatam consummauit, canonicamque uitam sanctimonialium, quam in eodem loco inceptam repererat, eorundem dominorum licet laicorum iuuamine, ut bene nouerat, canonice et regulariter ordinauit. Instituerunt enim hii omnes prenominati uiri in eadem ecclesia more totius Romanę ecclesię abbatissam, quę claustraliter iuuens sue spiritualiter præcesset congregationi, eidemque abbatissę suam singularem partem de prediis predicte ecclesię ad suam procurationem decreuerunt. Alia uero ad uiginti quatuor prebendas sanctimonialium et sustentationem sex presbyterorum et unius diaconi et unius subdiaconi dari iusserunt. Quę uero supererant, ipsis laicis qui dicebantur ministeriales ecclesię ad mandatum solius abbatissę seruire

debentes, cuique ut dignus erat impenderunt. Hoc etiam, ut his\*) qui prouectioris etatis inter eosdem cognatos esset aduocatiam haberet, et quod nullus ex ipsis eandem aduocatiam aliquo modo alienaret collaudauerunt. Ipsi etiam statuerunt dari seruicium aduocato ter in anno, dum presidere debet iudicio, primo uidelicet post Epiphaniam, tres plenos porcos, tres modiolos et dimidium salis, tria maldra et dimidium farinę, triginta caseos, dimidię sexagenam scutellarum, quindecim bicaria, quinque gallinas, quinquaginta oua, septem sexagenas auenę, uiginti urnas ceruisse, quinque ollas, tria plaustra lignorum. In ebdomada post pascha dandi sunt tres porci, quorum quilibet ualeat quatuor solidos, bernam cum interioribus, excepta aruina, capite et pedibus ac sulta, reliqua sicut in Epiphania. Item proxima die dedicationis dabuntur sex oues et reliqua omnia sicut in pascha, sed sine porcis et berna. Hęc ideo statuerunt, ne aduocatus grauis esset hominibus ecclesię, sed eos defensaret. Quicquid etiam de iustis causis in placito suo ab hominibus ecclesię obtineret, tercia pars sua esset, et duę partes ecclesię cederent. Hoc etiam de communi consilio omnium cognatorum, cum opus fieret, ut abbatissa eligeretur, constituerunt. His uero hoc modo ordinatis predicti principes, suasu fratris sui episcopi Friderici, et ob hoc quia melius sciunt clerici regere ecclesiasticos ordines quam laici, eandem abbatiam Monasterensi ecclesię hac condicione obtulerunt, ut quicunque Monasterensis esset episcopus in eodem loco unam curiam cum bonis ad illam determinatis haberet, ipseque cum illuc causa dandi abbatissam, quod tamen sine predictorum heredum consensu nunquam fieri debet, uel pro aliqua alia causa eiusdem ecclesię dispositione necessaria ueniret, seruicium sibi fieret, et si ultra eiusdem ecclesię bonis . . . sic immitteret, quod aliqua sine tribus causis faceret quas determinauerant, si uel quod abbatiam sine predictorum heredum consensu uel congregatiōnis alicui daret, uel de bonis ad prebendas sanctimonialium pertinentibus suę mense assumeret, uel etiam eiusdem ecclesię bona beneficiali iure liberis uiris prestaret, que etiam ad loci et ad huius institutionis destructionem pertinerent, per hoc sibi et omnibus successoribus suis predicti loci potestatem perderet. Hac igitur re tam honeste ordinata, quam diu idem F. episcopus uixit, status eiusdem ecclesię securus permansit, nec aliquis pactum ullo modo infregit. Sed mortuo illo, Erpo subsequens Monasterensis episcopus predictum pactum uiolauit, nam bona eiusdem ecclesię beneficiali iure liberis uiris cognatis suis porrexit. Quo facto comes Thiemmo pater meus, unus de predictis fratribus, qui tunc superstes more instituto eiusdem ecclesię aduocatiam tenuit, cum marchione H. et cum fratre suo comite C. et cum comite W. et fratre suo comite D. ac cum ceteris cognatis suis iniit consilium quid faceret, cum pactum a se et a patribus illorum firmatum ruptum esse uiderent, omnes pariter commoti, legatione facta episcopum Erponem in ipsum locum Gerbestede uocauerunt, ut de hoc facto secum tractarent. Ipse autem uocatus uenit et uix de predictę potestatis ablative, que pro rupto pacto fieri debuit, inter se et eosdem principes pace composita, bonis ecclesię redditis, priorem pacti condicionem reiterauit communique consilio eam deinceps ratam esse collaudauit. Reiterato igitur pacto predicto res tota tranquilla sine motu permansit quam diu idem Erpo episcopus uixit. Sed eo fideliter in domino defuncto, Burchardus eiusdem Monasterensis ecclesię dictus episcopus superuenit et rem hoc predicto modo ordinatam inueniens non ex parte sed omnino destruxit. Nam defuncta eiusdem ecclesię abbatissa, nullam aliam, ut regula sanctimonialium exigit, ipsis prefecit, sed partem allodiorum que abbatisse pertinuit, cum aliis plurimis bonis que pro animabus predictorum principum et cognatorum illorum, quorum omnium corpora ibidem sepulta sunt, in anniuersariis eorum ad dandas oblationes fratribus et sororibus, et ad dandas elemosinas pauperibus in altari sancti Johannis Baptiste oblata et banno Haluerstadiensis episcopi confirmata fuerunt, mense suę assumpsit. Sanctimoniales etiam quas ibi meliores inuenerat et quandam canonicum, quia obedientes erant Romanę ecclesię eiecit, et quatuor suę assentantes voluntati retinuit, bona etiam ad earum prebendas pertinentia sibi usurpauit, quedam insuper eiusdem ecclesię bona militibus dedit, comiti H., domino Wiberto,

\*) für is.

Cod. dipl. hist. Westfal.

domino H. domino B. domino S. domino M. et ceteris multis quibus uoluit, et sic seruicium Dei quod in illo claustro fieri debebat cottidie prorsus destruxit. Mortuo uero illo destructore ecclesię, uenerabilis dominus meus bone memorię R. Haluerstadensis episcopus egre ferens tantam loci destructionem, communicato consilio totius ecclesię, dignum duxit ad bonum statum prestante Domino reformare. Ego uero, quia locus ille ad meam spectabat tutelam et defensionem, quamuis in ecclesiasticis rebus adhuc essem tener et fatuus, tamen multorum uenerabilium uirorum, episcoporum, abbatum ceterorumque fidelium Christi preceptis et monitis instructus, libenter ex habundanti rerum mearum copia ad eterne beatitudinis uitam obtainendam et ad temporalem feliciter transigendam, diuina auxiliante gratia, quod meę felicitati aptissimum . . . . fidelium . . . auxilio incipere et in Domino perficere constanter elaborauit. Quid plura? Sanctimoniales ille uiolenter extruse in locum suum reductę sunt, et ipsarum petitione ordo ille antiquior (in S. Benedicti regulam)<sup>\*)</sup> et in seratas transmutatus est. Dominus autem meus R. episcopus ex regula S. Augustini, communicato consilio ecclesię et meo assensu, patrem spiritalem eis præesse instituit, qui in spiritualibus necessitatibus . . . tamen pater nunquam nisi per spontaneam et liberam electionem eis preponeretur. His uero ita bene ordinatis et dispositis superuenit T. Monasteriensis episcopus, qui omne quod ad honorem ecclesię . . . destruere et adnichillare conatus est, Deo tamen opitulante nichil profecit, nisi hoc solum quod de bonis ecclesię quinquaginta mansos qui ad prebendas sanctimonialium pro anima marchionis H. . . . inde abstulit, per quod etiam ipse condicionem ab antecessoribus meis factam infregit. Supplicauit etiam domino Papę, quatenus bona ecclesię quę beneficiali iure liberis uiris tradita fuerant, uidelicet comiti H. et . . . de . . . ingrothe et ceteris quos tedium est numerare, bona quoque quę prefatus T. episcopus suę mense est ausus usurpare, sua auctoritate congregationi, quę Deo gratias numero ad Centum uiginti moniales sub sancta professione seraturis subdita manet, reddi faceret, omniaque quę ad honorem Dei et ecclesię predictę ordinata fuerant, uetus quoque pactum a parentibus meis condicionaliter factum, et cetera omnia quę ad statum eiusdem loci pertinent, ipsius auctoritate roborari ac priuilegio consigniri impetravit. Tali modo, ut supradictum est, Gerbestede locus a parentibus meis institutus est, taliter est per me reformatus, presentibus domino Cardinali qui tunc mecum fuit, ac domino meo R. Haluerstadensi episcopo, et ceteris episcopis, abbatibus, clericis ac laicis multis presentibus. Anno dominice incarnationis Millesimo centesimo octauo decimo, in ipso loco Gerbestede, in nomine Domini feliciter. Amen.

Das Siegel ist verloren gegangen.

### CLXXXVIII.

**C.** In nomine sanctę et indiuidue Trinitatis. Erkenbertus Corbeiensis abbas presentibus atque futuris. || Placuit nostrę humilitati omnibus notum facere in quibus tempore nostro pro posse ecclesię nobis commissę prouidimus, et quanto labore quę inutiliter emergebant resecare studuimus. Ea uidelicet intentione, ut successoribus nostris, si qua super causis per nos quoquo modo finitis inquietudo mota fuerit, dum qualiter composita sint nouerint, defensionem certissimam hęc nostra scripta proferant, loco autem prodesse nolentes obprobrium suę desidię habeant, si non solum ipsi pro se non laborare, sed nec aliorum laboribus prouisa curauerint conseruare. Fuit igitur in diebus nostris quidam ΓΩΔΕΦΡΗΔΟΤC, \*\*) qui magi-

\*) Die eingeschlossenen, im Originale vorloren gegangenen Worte, sind aus der alten Aufschrift der Urkunde zu ergänzen.

\*\*) Dass der Schreiber des ältesten, aus dem 15. Jahrhundert herrührenden, Corvey'schen Kopialbuches, die ungewöhnliche griechische Majuskel, mit welcher dieser Name im Originale geschrieben ist, nicht verstand, und indem er sie mit ähnlich gestalteten lateinischen Buchstaben verwechselte, den unerhörten Namen Twaeotihaoe herausbrachte, ist weiter nicht zu verwundern. Kaum traut man aber seinen Augen, wenn Falke, der das Original vor sich hatte, ohne alle Ahnung, dass er es mit griechischen Schriftzügen zu thun habe, den Namen Twaeothaoc schreibt, und eine gelehrte Anmerkung darüber macht, wo er unter andern aus der letzten Hälfte, haoyc, den Namen des Gaues Ahugo herausfinden will.

stratum sibi et dominatum super has curtes uendicabat. Gudelman. Ouenhuson. Hestinon. Ziatesson. Ikkenhuson. Munichuson. Medesthorp. Sologon. Bramhornon. Fridderun. Visbike. Bernesthorp. Sutholt. et per hoc prebendam fratrum sibi non fratribus utiliter usurpare intendebat. Officium autem ipsum sibi hereditarium affirmabat, unde res ita se habet. Pater eius Reinfridus de ipsis curiis annuatim solebat ad manus prepositi redditus colligere, post hoc ausus est dicere sui iuris esse, inibi uillicos statuere, pro libitu cuncta disponere. Manifesto autem Dei iudicio eo Morsacio interfecto, predecessor meus beatę memorię Marcwardus filio eius adhuc ad mamillas posito officium et beneficium patris concessit, sed puer paulo post obiit, officium autem et beneficium in potestatem abbatis rediit. Tum mater cum hoc Godefrido adhuc perparuo, adiutorio eorum quos adtrahere potuit, beneficium uix hac condicione optimuit, ut officium coram abbe multisque qui affuerant perpetim abdicaret. Hoc pacto mater conticuit cum filio. A me quoque officium non quesuius, cum beneficium suum suscepit. Post autem quam nupsit, iniustis suis fautoribus fretus, pro quo XXX. iam annis conticuerat, officium requisiuit. Vnde cum me nunc per principes et ceteros liberos homines meos, nunc per ministeriales meos nimium sollicitaret, premio ab hac sentencia eum reuocare contendi, sed non recepit. Judicio igitur quesito, cum iam lege ministerialium partem suam uideret infirmari, quod prius obtuleram recipere tandem consensit, quia officium remanere sibi non posse persensit. Dedi itaque ipsi VII. marcas, et coram subscriptis testibus officium uoluntarie abdicauit. Gerberto decano. Wulframno camerario. Godefrido preposito. Hugone preposito omniue congregacione. Sigifrido comite et aduocato. Widikindo uice aduocato. Conrado de Euerstein. Sigebergo nobili. Reinoldo uassallo. Gumberto de Wartberg. Reinboldo fratre eius de Koanstein. Bernhardo de Waldekke. Folcmaro de Ittera. Folcnando. Conrado de Euerskute. Heinrico Olepe. Thiedrico. Bern. Thietmaro. ministerialibus. Adelrado. Godescalco et fratre eius Annone. Heribaldo. Liudolfo. Waldrico camerario. Item Waldrico pincerna. Item Waldrico iuniore. Godeskalco paruo. Gerberto. Reinhiero. Annone. Wernhardo. Walone. Karolo. Altolfo. Widolone. Odone. Wazone. Thiedrico. Helmwig. Wagone. Waltberto. Folcberto. Godescalco. Albwino. socero Godefrido de quo racio est. Skerpoldo. Conrado. Reinboldo.

Actum Corbeię anno Domini M.C.XX. Regnante Heinrico Vto. Idus Maii. Hęc ut nulli sint in dubio firmamus domini nostri sancti Viti sigillo.



Das auf die Schlussformel durch einen Kreuzschnitt aufgedruckte Siegel ist verloren gegangen.

### CLXXXVIIIb.

In nomine domini nostri Ihesu Christi, ego Rocherus Magedeburgensis ecclesie archiepiscopus, sub presenti pagina notum facio omnibus Christi fidelibus tam futuris quam presentibus, quod litem et discordiam diu inter canonicos Angarenses suumque prepositum Othelricum diu de prebendali dispositione habtam, pacis et concordie cupidus, tandem communicato consilio decani prefatae ecclesie quandam preposito ceterorumque religiosorum virorum tam laicorum quam clericorum subscripta conditione sedauit, et ut in posterum inuiolabiliter permaneret, firmiter stabiliuit. Summa autem eorum querimonie specialiter fuit de curte quadam in pago Heildageshem sita, quam a uenerabili nostro archiepiscopo Hartwigo ecclesie An-

garensi traditam\*) eiusdem ecclesię canonicis in . . . . . propalauerunt, Huiusque veritatis testimonium manifesta sigillati . . . . . uerint, sed predictum prepositum eandem curtem sibi usurpasse, et sub priua . . . . redegisse proclamauerunt. Ad sedandam huius disceptationis controversiam ego . . . tum ponens, et utrius parti prout habilis potui consulens, statui quatinus seruitia ad priuatum usum prepositi pertinentia duarum marcarum precio inminuerentur, et usui fratrum restituerentur, ita uidelicet quod de curte H.i.ga. dimidia marca. De Siliburin dimidia marca. De Sibollinghusun dimid. M. De Angarensi uero curte, unde prius XIII. dierum eidem preposito seruitium persoluebatur, uel marca argenti, septem in usus fratrum remissis, VII. alias in proprio usu ipse prepositus sub precio dimidię marce obtineret. Additis insuper preposito in proprium usum Heildageshem. Bedingthorpe. ceteris omnibus ex integro in prebendam fratrum dispensandis. Huius autem pacis et concordię testes sunt. Decanus Hathuwardus. Gezo camerarius. Frethericus custos. Johannes. Ekehardus. Guntramnus prepositus. Fredericus. Purichardus. ecclesię nostrę maiores. Angarenses autem ecclesię canonici tres. Aezelinus decanus. Theodericus. Huchbertus. Laici quattuor. Volemarus. Fredericus. Meinricus. Widulo. et alii plures. Facta sunt autem hęc anno ab incarnatione Domini M. C. XXI.

Das aufgedruckte grosse kreisförmige Siegel zeigt den Erzbischof, mit unbedecktem Haupte, auf einem mit Stufen versehenen Stuhle sitzend, in der rechten Hand den Bischofsstab, in der linken ein offenes Buch haltend; mit der Umschrift: Rögerus Dei Gra. Magetheburgensis Ecclesie Archieps. †

### CLXXXIX.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. || S. Dei gratia Mindensis episcopus. Pro omnibus que celestis nobis retribuit misericordia, nichil digne retributionis humanus inuenit defectus, nunquam tamen a iuste quantum possumus uicissitudinis debito nostre deuotionis auertetur affectus. A parentibus enim in hac ecclesia, cui indigne presideo, adhuc puer oblatus, eadem Dei aspirante misericordia, cum maxima caritatis et dilectionis abundantia ab omnibus canonicis in consortium fraternitatis eorum sum receptus, et ita mecum per omnes etatū uices omnium perseverante gratia, per diuersa beneficiorum et dignitatum incrementa promotus, nullis ut dictum est precedentibus meritis, communi tamen consensu, uoluntate et petione, prouisor ecclesię sum constitutus. Unde notum esse desideramus tam futurorum quam presentium ecclesię nostrę nostrique fidelium dilectioni, quod pro his tantis diuinę pietatis et ecclesię nostrę ab ineunte etate in nos respectibus, et maxime pro spe eterne retributionis, hęc hereditatis nostre predia in occidentali parte fluminis quod Leina dicitur sita, unum Vorewerc in Sutrem, unum in Bedebure, unum in Idanhusen, unum in Westrem, unum in Wechertheren, unum in Elmenhurst, cum omnibus ad hęc eadem Vorewerc iure pertinentibus, uidelicet mancipiis utriusque sexus, areis, edificiis, terris cultis et incultis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, punctionibus, uenationibus, questis et adquirendis, cum omnibus ullanenus usui aptis, hęc inquam omnia cum consensu et collaudatione cognate et legitime heredis meę Bertę, laudante etiam dno. Brunone eiusdem Bertę marito et mundiburdo, consentiente etiam in id ipsum et adstipulante fidelissimo amico et cognato eodemque mundiburdo meo dno. Adolfo comite sene de Scoamburg, hęc inquam uniuersa ecclesię Mindensi eiusque patronis beato Petro apostolorum principi sanctoque Gorgonio precioso martyri, in pago Mersteme, in mallo Gerberti comitis, fratris comitis Erponis, iuxta uillam Runeberchen, in orientali parte, perpetuo iure possidenda tradidi. Sed unum Vorewerc ex supradictis in Sutherem, ob recordationem anime meę, in usum fratrum meorum incommutabili firmitate donau. Ecclesiam etiam in Idanhusen ab episcopo nulli concedendam nisi

\*) Die Urkunde des Erzbischofs Hartwig über diese Schenkung, vom Jahre 1094, ist noch vorhanden, aber so zerrissen und verdorben, dass von dem Innhalte nur noch wenig herauszufinden ist, und eine Abschrift der vorhandenen Fragmenten unnütz sein würde.

sacerdoti qui ibidem stabiliter habitare Deoque fideliter seruire studuerit, constitui. Et ut hec nostrę traditionis et constitutionis deuotio nunquam in irritum ducatur, hanc cartam conscribi iussimus, sigilli nostri impressione signauimus, banni nostri firmamento stabiliuimus, testibus idoneis corroborauimus. Hi sunt testes. Nobiles. Adolpus comes predictus. Eberhardus uicedominus. Bernhardus et frater eius Cono. Ministri ecclesie. Gerbertus. Egilwardus. Herewardus. Liudolfus. Vastmarus. Preterea alii quidam liberi homines. Meinfrith. Athelbern. Hoico. Rothward. Athelhelm. Ido. Eilbold. Thancward. Eico. Meinhard. Dodilo. Egilhard.

Das Siegel, welches auf die Charte, an einem von der Schrift leer gelassenen Raume, mit schmalen Pergamentstreifen angeheftet war, ist verloren gegangen.

### CXC.

Nach einer im ehemaligen Münsterschen Landes-Archive aufbewahrten, neueren Abschrift.

In nomine Sancte et indiuidue Trinitatis. Theodericus Monasteriensis Ecclesie Dei gratia Episcopus. Notum fieri volumus tam presentibus quam futuris Christi fidelibus, quod Comites Godefridus et Otto fratres pro salute animarum suarum obtulerunt se et sua quedam Deo et beate Marię semper virgini et beatorum apostolorum choro omnibusque Sanctis, videlicet Capenbergh quod iure allodii possidebant, cum aliis allodiis, curiis et mansis, Werne, Alsteden, Heile, Capenbergh, cum uniuersis usibus earum, scilicet pratis, pascuis, viis et inviis, et irriguis, molendinis, nemorosis et campestribus, tradentes hec in manus fratris Norberti ad usum et necessitatatem fratrum tam presentium quam futurorum ibidem Deo seruientium secundum apostolica instituta et secundum regulam beati Augustini, sub disciplina et magisterio prenominati fratris Norberti. Ego vero Theodericus supradictus Monasteriensis episcopus, rogatus a Coloniensi Archiepiscopo et a supranominatis fratribus Ottone et Godefrido et ab uniuerso Canonicorum ibidem degentium collegio, X<sup>o</sup>.VIII<sup>o</sup>. Kalend. Septembris, in die scilicet Assumptionis Sancte Dei genitricis semper virginis Marię, per pontificale officium, habentes cooperatorem Spiritum Sanctum, castrum et eiusdem castri ambitum solemni consecratione vertimus et immutauimus, ut exinde esset, sit atque permaneat immunitas atque cimiterium, iacentes in eodem ecclesie fundamentum, assignantes eidem ecclesie predicta allodia in dotem perpetuam. Post hec autem brevis elapsa temporis interuallo, et aucto fratrum ibidem collegio, Godefridus et Otto supra dicti germani, adhuc in habitu positi militari, de allodiis que tunc hereditario iure possederunt, Mencgede, Curete, Sorbecke, Wisele, Wesheim, cum mansis et mansionariis, viis et inviis, pratis et pascuis, nemoribus et campestribus, et cum uniuersis usibus et appendiciis suis et iusticiis earum, supradictę ecclesię Capenbergh, seruisque et ancillis Dei ibidem constitutis, coram tribunis in statutis placitis in usus perpetuos contradiderunt et transfuderunt, suasque dationes et oblationes in synodo nostra renouauerunt et banno nostro sibi firmari postulauerunt. Ea autem que Deo oblata sunt, sacrorum attestatione canonum sacra esse perhibentur, unde qui ea Deo auferre et ad suum usum retinere presumunt, sacrilegi et eterne damnationis rei esse conuincuntur. Ea propter quicunque temerario ansu Deo et fratribus iam dictam ecclesiam et curtes vel aliquid de supradictis possessionibus auferre presumperit, cum fratribus nostris ecclesie nostrę prelatis et sacerdotibus, in presentia nobilium et ecclesie ministrorum, vinculo anathematis usque quo resipiscat inuocauimus. Ut autem hec tam a futuris quam a presentibus rata habeantur, et hoc ordine legitime gesta et firmata esse credantur, bulla nostra assignauimus, et in virtute Spiritus Sancti, ut perpetuo inconuulsa permaneant, vinculo banni nostri firmauimus. Actum vero est Anno incarnationis Domini Millesimo Centesimo vigesimo secundo. Confirmatum vero Anno eiusdem incarnationis Millesimo Centesimo vigesimo quinto.

Testes primę traditionis. Adolphus comes de Altena. Wigboldus. Bruno tribunus. Wernerus. Emunt. Franco. Lambertus. Reginbolt. Bertholf. Confirmationis vero que facta est in synodo testes. Bruno prepositus. Rutbertus decanus. Engelbertus custos. Gerardus magister. Helmwardus. Guntramus. Folcmarus de Sancto Mauricio, et omnes canonici et sacerdotes qui sacre synodo tunc interfuerunt. Nobiles vero. Rudolphus et frater eius Bernardus. Wern. Bernardus. Hereman. Ministeriales vero. Walterus. Thietmarus. Bruno.

## CXCI.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Helmburch humilis ancilla Dei. Notum esse uolo tam futuris quam presentibus, quod pro remedio animae meae, || collaudatione BERNHARDI de Lippe, in cuius eram tutela et mundiburdio, consensuque aliorum coheredum meorum, tradidi perpetualiter in proprium sanctae MARIAE Dei genitrici reliquisque sanctis in ecclesia Herisiensi quatuor mansos cum omnibus suis pertinentiis, hoc est animatis et inanimatis, mobilibus et immobilibus, sitos in villa OVERIDE nominata, in parochia LOVENE, in comitatu FRIDERICI comitis ad Thuneressberhc. Fecimus autem hoc ea uidelicet ratione, ut deinceps omni tempore, remota omnium hominum contradictione, pertineant in perpetuum ad prebendam sanctimonialium ibidem Deo sueque sanctissime genitrici sancteque SATVRNINAE uirgini seruientium. Et ut hoc in futurum iugiter firmum perseueret et inconuulsum, uenerabilis eiusdem loci abbatissa BEATRIX nobis potentibus hoc inde iussit fieri scriptum, sigilli sui impressione roboratum et insignitum. Interfuerunt autem huic traditioni fideles isti. Venerabilis predicta BEATRIX abbatissa. Preposita Helmburch. Decana Helmburch. Ida. Redin. Siburch. Beatrix. Gunderat. Cunegunt. Liutdrut cum reliquis consororibus. Ex clero. Ade. Thietwart. Helmer. Herrat. Marcwin. Ex laicis liberis et ministerialibus. BERNHART de Lippe. Cōrat eiusdem loci aduocatus. Ödelric. Vdo. Cōno. Cōrat. Bernhart. Cōrat. Widerolt. Heinric. Ödelric. Alberic. Godescalc. Reinhure. Wezel. Riprech. Vdo. Wiren. cum aliis multis utriusque sexus fidelibus.

EGO Thietmarus uenerabilis abbatissę BEATRICIS notarius scripsi.

Data III. Non. Mart. anno dominicae incarnationis M.C.XXIII. Indict. I. Actum HERISIE in monasterio sanctissimę Dei genitricis MaRię feliciter AMEN.

Das Siegel, welches aufgedruckt war, ist verloren gegangen.

## CXCII.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Heinricus Dei Gratia Patherbrunnensis ecclesię episcopus. || Sicut sagacis industrie et laudande prouidentie cognoscitur res gestas memorie posterorum commendare, ita nihilominus desidie et negligentie ascribitur, neglectu earum emulis ecclesiarum aditum presumptuose inuasionis uigilanter non premuniri. Quę sollerter contemplantes, et ecclesiis nobis commissis ecclesiasticae tuacionis protectionem in futurum impendentes, omnibus fidelibus notum esse uolumus, qualiter uir quidam nomine Wighardus ac uxor sua Walburg nominata cum duobus filiis suis Wighardo et Folcberto tempore carnis sue libertatem sub ecclesiasticę seruitutis redigentes proprietatem, salubri consilio parique desiderio se in proprietatem Patherbrunnensis cenobii iure ministerialium dederunt, duosque mansos in Othen, quos hereditario iure possederant, laudantibus et fauentibus legitimis heredibus, ecclesię conferentes, eos ab ipsis ecclesię abbate Hamukone sibi posterisque suis a generatione in generationem iure beneficii profuturos receperunt. Hanc traditionem a Fritherico comite aduocato ecclesię nostrę apud Balhor- non regali banno firmatam et stabilitam, banni nostri munimine roborauiimus, et hanc cartam in testimonium ueritatis scriptam sigilli nostri impressione insigniri mandauiimus. Huius traditionis et confirmationis testes paucos de pluribus proferamus. Wino prepositus. Bernhardus decanus. Conradus prepositus. Godescalcus. Esicus. Reinbertus. Rantwigus. Folcbertus. Hartmannus. canonici. Ministeriales autem. Vffo. Hugo. Heinric. Eilbreth. Adelbero. Bernhard. Altman. Folcbrath. Welciko. Waltgot. Albern. Reinzo. Eilbrath. War- mund. Becelin. Gerlach. Actum in Patherbrunnon XIII. Kal. Jul. anno ab incarn. D. M. C. XXIII. Indict. I. Regnante Heinrico V. rege.

Das aufgehæftet gewesene Siegel ist verloren gegangen.

## CXCIII.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. || Ego Hamuko Dei gratia Patherbrunnensis ecclesie humilis minister. Notum fieri cupio posteris nostris, quod quidam vir Wighard et uxor sua Waltburg nomine cum duobus filiis Wighardo et Folcberto ex libera conuersione se dantes in proprietatem ecclesie nostrae, accepterunt a nobis mansum unum quadraginta iugerum in Othihem, quem comes ciuitatis huius Elferus pro requie anime coniugis sue Regelindis ad altare Sanctorum apostolorum PETRI et PAVLI optulit, tali condicione, ut omni anno in festo Sancti Michaelis tam ipsi quam post eos posteritatis sue filii duodecim denarios grauioris monetę custodi ecclesie nostrae persoluant, et si hoc neglexerint, uel duodecim solidos soluant, uel manso careant. Huius rei testes sunt et presentis scripti pagina et homines quorum hec sunt nomina. Wino prepositus. Bernhardus decanus. Conradus prepositus. Godescalcus. Esicus. Reinbertus. Rantwigus. canonici. Ministeriales autem. Vffo. Hugo. Heinric. Eilbrath. Adelbero. Bernhard. Walmant. Folbrath. Welziko. Waltgot. Albern. Reinzo. Eilbrath. Warmund. Beccelin. Gerlag. et alii multi.

Actum Patherbrunnon XIII. Kal. Jul. Anno ab incarn. D. M.CXXIII. Ind. I. Regnante Heinrico rege Vto.

Von dem, mit Pergamentstreifen auf die Charte gehesteten Siegel, das seitwärts schende Brustbild des Abtes, mit unbekleidtem Haupte, einen Stab in der rechten und ein Buch in der linken Hand, vorstellend, ist ein grosser Theil verloren gegangen, daher auch die Umschrift nicht mehr anzugeben.

## ◦ CXCIV.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Heinricus Dei gratia Patherbrunnensis ecclesie episcopus. || Nouerit omnium fidelium Christi tam presentium quam futurorum iuniversitas, qualiter ecclesia que est in Atlon uenerit in proprietatem Patherbrunnensis cenobii. Antiquiores nostri dixerunt ibidem quondam fuisse congregationem in honore sancte Dei genitricis MARIE coadunatam, in cuius honore eadem basilica est dedicata. Nunc uero, peccatis hominum ut putatur exigentibus, uix parua quedam uestigia huius rei dinosci possunt. Vnde dominus Hamuko uenerabilis Patherbrunnensis cenobii abbas temporalibus rebus pro subditorum necessitatibus explendis sedule deditus, beatę Dei genitricis et uirginis MARIE amore prouocatus, et fratum et fidelium suorum consilio et auxilio animatus, Bernhardum comitem fratrem Volkoldi de Malesburgh, cuius propria fuit ecclesia, cum amicis suis adiit, et conuentione pro ecclesia cum eo faciens, sedecim ei marcas spopondit. Qui ueniens cum herede suo unico scilicet filio nomine Amulungo, tradidit ecclesie beatorum apostolorum Petri et Pauli in Patherbrunnon ipsam ecclesiam cum agris et mancipiis, pascuis et pratis, et cum omnibus attinentiis, Widikindo aduocato ecclesie astante et cum abbe et fratribus suspiciente. Abbe autem memoratum argentum persolente, rursum uenit predictus comes Bernhardus in placitum memorati Widikindi aduocati, et hanc traditionem laudavit, stabiliuit ac firmauit, legitimo herede suo unico filio astante, laudante atque una secum tradente. Vnde nos supernę remunerationis intuitu ac prefati abbatis et fratum suorum rogatu, ipsam ecclesiam cum omnibus suis appenditiis acquisitis seu acquirendis, nostra pontificali auctoritate, ecclesie beatorum apostolorum Petri et Pauli in Patherbrunnon confirmamus et corroboramus, eterna ferientes maledictione omnem hominem, qui quemlibet abbatem et fratres ipsius monasterii super hac inquietare, molestare aut diuestire presumserit. Ut autem hec confirmationis nostrae auctoritas stabilis et inconuulsa permaneat, paginam hanc inde conscriptam sigillo nostro insigniri fecimus. Huius traditionis et confirmationis testes sunt tam canonici quam monachi. Laici uero. Thiederic de Vorde. Erpo. Wezelo. Vffo. Hugo. Heinrich. Liudold. Athelbero. Altman. Folbrath. Altmar. Frithemar. Welciko. Sigebodo. Sibrath. Warmund. Sibrath. Reinzo. Eilbrath. Gerlach. Godescalc. Conrad.

Acta sunt hec Balhornon. XIII. Kal. Decembr. Anno ab incarnatione Domini M.CXXIII. Indictione II. Regnante V. Heinrico imperatore.

Das grosse, seitwärts neben der Schrift aufgeheftet gewesene Siegel ist verloren gegangen.

## CXCV.

Aus dem Archive der Standesherrschaft Kappenberg.

C. In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia quartus Romanorum Imperator Augustus. || Notum fieri uolumus tam presentibus quam futuris Christi fidelibus, quod Godefridus comes et frater eius Otto castrum Capenberg, quod Jure allodii possidebant, cum adiacentibus quatuor curiis, Nette, Werne, Heile, Alsteden, Deo patri omnipotenti, et beatę Dei Genitrici Marię, et beatissimis apostolis Petro et Paulo, Sanctisque omnibus, spe future retributionis animati optulerunt, tradentes hoc uenerabili fratri Norberto suisque fratribus sibi subiectis, eorumque successoribus in canonica professione secundum apostolica instituta ibidem decentibus. Nos ipsis fratribus ad imperiale patrocinium confugientibus traditionem hanc ratam et inconuulsam permanere statuimus. Decernimus etiam et firmamus ex ro-gatu eorundem fratrum, quod nullus episcopus uel eiusdem ecclesie futurus prelatus potestatem habeat, regulam, professionem, institutionem assumptam immutare, uel indulgentia laxioris licentie corrumpere. Aduocatus ibi nullus sit, nisi quem fratres ipsi unanimiter elegerint. Qui si incommodus uel inutilis fuerit, si semel, secundo uel tertio correptus non emendauerit, alium eligendi liberam habeant facultatem. Hoc et fideles Dei scire\*) uolumus, quod eidem Godefrido eiusque fratri, pro redemptione anime meę, supradicto sacerdote pro eis intercedente, regiam offensam ex animo condonamus, obsides eorum manumittimus, et quicquid cause uel exactio in ipso habuimus uel habere possemus, eternaliter postponimus. Ad hanc uero nostram traditionem testes ydoneos adhibuimus. Adelbertum Mogontinum archiepiscopum. Fridericum archiepiscopum Coloniensem. Hartwicum Ratisbonensem episcopum. Ottонem Bauenbergensem episcopum. Brunonem Spirensem episcopum. Herimannum Augustensem episcopum. Gebehardum Herbipolensem episcopum. Alii quoque principes. Heinricus dux Baivariorum. Fridericus dux. Symon dux. Pertolfs dux et frater eius Cunradus. Marchio Theipoldus. Marchio Engelbertus. Berengarius comes. Ut autem hec nostre traditionis auctoritas stabilis et inuolata omni permaneat quo, hanc inde cartam scribi, et sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Preterea quascunque possessiones, quecumque bona, in terris, uineis, mancipliis, censibus, decimis, molendinis, aquis aquarumue decursibus, pratis, pascuis, nemoribus, campestribus, montibus, collibus, uallibus, aut quibuslibet aliis rebus predicta Capenbergensis ecclesia in presentiarum possidet, aut in futurum concessionem pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis poterit adipisci, omnia ei imperatoria auctoritate confirmamus. In quibus hec propriis uocabulis duximus exprimenda. Mengede. Curede. Sorbeke. Wisele. Weshem. cum mansis et mansionariis et uniuersis usibus et Justiciis suis. Si qua igitur ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam uenire temptauerit, si secundo tercioue commonita presumptionem suam non correxerit, indignationis nostrę penam sentiet.

*Signum Heinrici Quarti Romanorum Imperatoris (L. M.) Invictissimi.  
Phylippus Cancellarius Recognoui vice Archicancellarii.*

Data anno dominice Incarnationis M<sup>0</sup>.C<sup>0</sup>.XX<sup>0</sup>.III<sup>0</sup>. Indictione XIII. apud Lobwisen. Quando dominus Imperator anulum et baculum ecclesie Remisit.

Das wie gewöhnlich aufgedruckte grosse Majestätssiegel ist zwar am oberen Theile schadhaft, jedoch die Figur des Kaisers nebst dem grösseren Theile der Umschrift noch erhalten.

\*) Im Originale steht durch einen Schreibfehler: *scire*.

## CXCVI.

In Christi nomine. Notum esse uolumus tam presentis qui quam futuri Christi fidelibus, Qualiter ego Wino prepositus matris ecclesie Sancti LIBORII, communicato Bernhardi decani nostri ceterorumque fratrum ac fidelium nostrorum consilio, decreuerim ut quicumque uillicus procurauerit curtim que est in LESSETE; et libera est a soluendis decimis, pro duobus mansis ad ipsam pertinentibus, unde nobis iure debentur decimae, super granarium nostrum VIII. maldra frumenti annuatim debeat persoluere, ita concessa sibi decima, ut siue ipsem uillicus siue alias quicumque ex supradictis mansis quicquam ipso concedente seuerit, nullus ei in congregandis decimis uim ullam inferat, sed ipse uillicus utilitati sue ex his ut libuerit prouideat. Si uero ipse uillicus plus agrorum de quibus nobis decima debetur quam supradictos mansos seminauerit, debitam de eis nobis decimam dimitiat, et sic omnis inter nos et fratres nostros monachos de decimis disceptatio cesseat.

Huius rei testes sunt. Hamuco abbas, cuius uigilantia ut hec fierent elaborauit. Ruothard. Gerlag. monachi. Bernhardus decanus. Cuonradus prepositus. Reginbraht. Esic. Gernand. Rantwig. canonici. Hilaici. Volcraht. Waldgot. Altman. Adalbero. Bernhard. Volcmar. Hizel. Sibraht. Warmund. Liudolf. Gerlag. aliquique quam plures.

Aufgedruckt ist das älteste, grosse kreisförmige Siegel des Domkapitels zu Paderborn, mit dem vorwärts sehenden Brustbilde eines Heiligen in bischöflicher Kleidung aber mit unbedecktem Haupte und in der linken Hand eine Schriftrolle haltend, und der Umschrift: Scs. Liborius Epc.